



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.


Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>





FN
AHS
APc



STANFORD LAW LIBRARY

Digitized by Google

D. 6



COMMENTATIO

DE

**IURIS GENTIUM STUDIO IN PATRIA NOSTRA,
POST HUGONEM GROTIUM.**

COMMENTATIO

DE

IURIS GENTIUM STUDIO IN PATRIA NOSTRA, POST HUGONEM GROTIUM.



SCRIPSIT

D. VAN HOGENDORP,

LITT. HUM. ET IUR. CAND.



AMSTELODAMI,
APUD FREDERICUM MULLER,
MDCCLVI.

LUGD.-BATAV., EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

DIDERICI VAN HOGENDORP,

PHIL. THEOR. LITT. HUM. ET IUR. CAND. IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

COMMENTATIO

QUA

RESPONDETUR

AD QUAESTIONEM

A NOBILISSIMO ORDINE ICTORUM IN ACADEMIA RHENO-TRAEJECTINA

ANNO MDCCCLV

PROPOSITAM :

**• QUI POST HUGONEM GROTIUM IN BELGIO NOSTRO IURIS GENTIUM
PERITIA INSIGNES FUERINT VIRI DOCTI, ORDINE CHRONOLOGICO
RECENSEANTUR, DEINDE QUID IN PRIMARIIS ILLIUS DISCIPLINAE
PARTIBUS PRAESTITERINT, EXPONATUR;”**

PRAEMIO AUREO ORNATA,

DIE IV M. APRILIS MDCCCLVI.

Quum hancce meam commentationem, quae in certamine, quod ex augustissimi Regis nostri GULIELMI III liberalitate ac munificentia civibus Academicis quotannis indici solet, praemium reportaverat, multis adhortantibus in lucem edere decreveram, humanissime mihi, a nobilissimo ordine Ictorum in Academia Rheno-Traiectina concessum est ut scriptis adderem, quae mihi dicenda viderentur de iis ex nostratibus iuris gentium peritia insignibus, quos me praeteriisse monuerant viri clarissimi sive publico iudicio sive privatis sermonibus. Quaecumque igitur in sequentibus invenies de GERARDO NOEST, de PETRO PAULO, de LAMBERTO IULIO VITRINGA, de NICOLAO OLIVIER uti et de THEODORI GRASWINCKELII opere maiore, non reperiebantur in commentatione quam in certamen miseram. Cetera quae in textu mutavi perpauca eaque non magni pretii sunt: in notis hic atque illic quaedam addidi.

At inter viros doctos quorum mihi non negligenda fuerant scripta, Ordo insuper nominavit PETRUM DE LA COURT: cur ego etiamnunc secus iudicaverim paucis dicam. Scilicet accurate huius viri doctissimi opera perlegens, imprimis vero eius Aanwijzing der heilsame politike gronden en maximen van de Republike van Holland en West Vriesland (Leiden 1669), multa inveni et egregia quidem de rationibus politicis Belgii Foederati cum aliis gentibus deque quaestionibus arcte cum his coniunctis, utrum v. c. eius interfuerit foederibus cum finitimis

iungi, maria tute posse navigare, bella gerere an pacem omnimodo servare, similia; nihil vero de praeceptis iuris gentium, de theoria quadam aut universae huius disciplinae, aut alicuius partis. Sive ut uno verbo dicamus, PETRUS DE LA COURT scripsit de Belgii Foederati arte politica, non de iure gentium; cuius rei ei testimonio opus sit, testem citare possumus cons. VAN REES qui in specimine academico de opere PETRI DE LA COURT modo laudato (Trai. ad Rhen. 1851) caput IV inscripsit buitenlandsche staatkunde, ibique egit de illis huius auctoris operis sectionibus quae unice hic in censum venire possent.

Insuper hoc mihi monendum videtur. Quodsi non satisfecerim illis qui forte vellent me etiam consulto egisse de iis, quae de iure gentium reperiuntur in scriptis virorum (sit venia verbo) politicorum, veluti I. DE WITT, VAN BEVERNINGH, RENDORP aliorumque, aut in edictis Ordinum, sive Generalium, sive Provincialium, animadvertant velim, primum me nonnullorum scripta laudantem, de ceteris iniquum futurum fuisse, deinde quominus omnia illa pertractarem vetuisse spatium temporis mihi concessi. Expositio enim eorum, quae de iure gentium in illis scriptis reperiuntur, amplam praeberet materiam novae commentationi scribendae.

Dabam LUGD.-BATAV.
Mense Quinct. MDCCCLVI.

CONSPECTUS OPERIS.



Praefatio	Pag. 1.
---------------------	---------

PARS I.

QUA VIBI DOCTI QUI POST HUGONEM GROTIUM IN PATRIA.
NOSTRA IURIS GENTIUM PERITIA INSIGNES FUERINT,
ORDINE CHRONOLOGICO RECENSENTUR.

1. TH. GRASWINCKEL	1.
2. ULR. HUBER	2.
3. ABR. DE WICQUEFORT	3.
4. PH. RH. VITRIARIUS	5.
5. C. V. BYNKERSHOEK	5.
6. I. BARBEYRAC	6.
7. A. ROTGERS	7.
8. I. TH. HEINECCIUS	7.
9. G. NOEST	8.
10. F. G. PESTEL	9.
11. F. FAGEL	9.
12. A. PLOOS V. AMSTEL	9.
13. E. LUZAC	10.

	Pag.
14. I. H. ENTRUP	11.
15. H. C. CRAS	11.
16. L. I. VITRINGA	12.
17. H. FAGEL	12.
18. F. F. L. PESTEL	13.
19. A. KLUIT	13.
20. P. PAULUS	14.
21. C. VOLLENHOVEN	15.
22. G. DE WAL	15.
23. F. E. BERG VAN MIDDELBURG	16.
24. N. OLIVIER	16.

PARS II.

QUA EXPONITUR QUID VIRI DOCTI, QUI POST HUGONEM
GROTIUM IN PATRIA NOSTRA IURIS GENTIUM PERITIA
INSIGNES FUERINT, IN PRIMARIIS HUIUS DIS-
CIPLINAE PARTIBUS PRAESTITERINT 17.

SECTIO I.

DE IURE GENTIUM UNIVERSE.

§ 1. VITRIARIUS	22.
§ 2. HUBER	28.
§ 3. BARBEYRAC	32.
§ 4. HEINECCIUS	35.
§ 5. VAN BYNKERSHOEK	39.
§ 6. ENTRUP ET ROTGERS	44.
§ 7. NOEST	53.
§ 8. LUZAC	56.
§ 9. CRAS	59.

	Pag.
§ 10. PESTEL	61.
§ 11. F. F. L. PESTEL	64.
§ 12. PAULUS	65.
§ 13. DE WAL	67.

SECTIO II.

DE SINGULIS IURIS GENTIUM PARTIBUS PRIMARIIS . . .	82.
--	-----

CAPUT I.

DE IURE FOEDERUM DEQUE FOEDERUM COLLECTIONIBUS.

§ 1. De foederum collectionibus deque foederum historia	83.
§ 2. De iure foederum	86.
(H. FAGEL, F. FAGEL, HUBER, VITRIARIUS, GRASWINCKEL, NOEST, HEINECCIUS, BARBEYRAC, LUZAC, KLUIT, BERG.)	

CAPUT II.

DE LEGATIS EORUMQUE IURIBUS

§ 1. De legatis eorumque munere	113.
§ 2. De legatis eorumque iuribus	124.
§ 3. De legatorum comitibus	135.
(§ 1—3: GRASWINCKEL, VITRIARIUS, HEINECCIUS, NOEST, HUBER, BARBEYRAC, V. BYNKERSHOEK, DE WICQUEFORT, LUZAC.)	

CAPUT III.

DE IURE BELLI

§ 1. De bello universe	140.
§ 2. De iure repressaliarum	142.
§ 3. De statu belli inter hostes	144.
(§ 1—3: HUBER, VITRIARIUS, HEINECCIUS, GRASWINCKEL, NOEST, VAN BYNKERSHOEK, BARBEYRAC, LUZAC.)	
§ 4. De statu belli inter non hostes	150.
(VAN BYNKERSHOEK, HEINECCIUS, PLOOS V. AMSTEL, VOL- LENHOVEN, PESTEL JR., KLUIT, BERG VAN MIDDELBURG, VITRINGA, OLIVIER.)	

CAPUT IV.

DE IURE GENTIUM MARITIMO.

	Pag.
§ 1. De dominio maris	173.
(GRASWINCKEL, NOEST, HUBER, V. BYNKERSHOEK, HEINEC- CIUS, PLOOS VAN AMSTEL, PESTEL JR., OLIVIER.)	
§ 2. De piratis praedonibusve deque praedatoria privata	181.
(VAN BYNKERSHOEK, BERG V. MIDDELBURG.)	
Epilogus	186.

PRAEFATIO.

Historiam patriae nostrae perlegendem id certe effugere non potest, maiores nostros, ratione habita territorii finium non late patentium, frequentissimam cum exteris consuetudinem habuisse, imo saepius lancem, quae continebat sortem totius fere Europae, pondere suo, quamvis certe ut videbatur exiguo, imposito, depressisse. Saeculum inprimis XVII magnum huius rei exemplorum numerum producere potest. Quis negabit insurrectionem Belgii foederati contra Hispaniam et mirificam quam harum regionum incolae ducibus nobilissimis domus Arausiaca Principibus hac in re ostenderunt perseverantiam, multum profuisse ad liberum religionis cultum, per omnem Europam vindicandum? Quis non lubenter profitebitur sine admirabili ingenio, fortitudine, virtute heroïca nostri GULIELMI III, Principis quo summo iure nobis gloriari licet, LUDOVICUM XIV omnes vicinas gentes sub ferream suam tyrannidem subiecturum fuisse et magnum Britanniae regnum longius adhuc desiderare potuisse libertatem religiosam nec minus politicam? Verum non bello

tantum Neerlandi apud exteros valuerunt, négociationibus inprimis foederibusque sive in patria nostra sive extra eius fines a se gestis et pactis gloriam sibi exterorumque aestumationem et gratiam conquisiverunt. Pax Westphalica et Ultraiectina et Noviomagensis et Rijsvicensis, et aliae permultae, omnes testantur; quantum nostri maiores valuerint in politico Europae statu re-gundo.

Nec mirum igitur quod in patria ubi saepissime negotiationes tanti momenti gestae sunt, cuius multum intererat apud exteros suis partibus negotiisque diligenter prospici, homines exstiterint artis diplomaticae peritia insignes quorum merita grata posteritas nunquam obliviscetur, quorum ingenii acumen et singularis in negotiationibus agendis sollertia, accurata tamen adhuc indigent aestumatione ¹⁾. Sed uti nulla politica esse potest sine fundamento quo nitatur, iure publico nempe ²⁾ (sensu proprio accepto), sic semper etiam duximus nullam esse posse artem diplomaticam, nisi regulae exstent quibus dirigatur, nisi ius sit quo superstruatur; neque igitur mirandum esse nostrates fuisse qui ius illud, *quod civitatum inter se rationes regit*, si non condiderint, saltem in disciplinae formam redige-

¹⁾ Quid VREEDE, vir. cl., hac in re praestiterit, praesertim in opusculo: »*De verdiensten onzer voorouders in het vak der Diplomatie vlugtig geschetst*» (Gorinchem 1835), non meum est nunc dicere; cf. Doct. H. A. VAN DIJK in opere *Bijdragen tot de gesch. der Nederl. Diplomatie* (Trai. 1851) p. XIV—XXI et ampl. H. M. HOFFMANN, *Diss. de Gentium pactionibus et foederibus ex historia illustratis* (Trai. 1824), in Praefatione.

²⁾ HUBER, *de iure civitatis*. L. I. S. I. c. 1. § 6. »*Politices est actiones publicas caute dirigere ad beatitudinem civilem: iuris publici ut facultas eius quod singulis in Rep. ordinibus competit, recte tribuatur et iustitia in omni regimento custodiatur.*»

rint et per satis longum tempus ad multo perfectiorem statum quam antea extulerint ¹⁾).

Facile inde intelligi potest hos non minore laude dignos videri quam illos qui prorsus se dederint arti diplomaticae. Neque igitur aliter fieri potuit quin mihi valde arrideret quaestio a nobilissimo ordine Ictorum in Academia Rheno-Traiectina proposita: „*Qui post HUGONEM GROTIUM in Belgio nostro iuris gentium peritia insignes fuerint viri docti, ordine chronologico recenseantur, deinde quid in primariis illius disciplinae partibus singuli praestiterint, exponatur;*” inprimis quum iam saepius animadvertissem doctos istos viros aut apud externos maioris pretii duci quam in nostra patria, aut ét apud externos ét apud nostrates in obscuram fere oblivionem recidisse.

Simulatque igitur mihi licuit, manum operi admovi ut responsum quaecunque huic quaestioni tentarem; sed quod alacri animo adgressus eram opus, fere e manibus elabi sivi praesertim quum perspexerim „per quos casus per quot discrimina rerum” iuris gentium disciplina perfecta esset, quantasque etiam nostrates de ea summoverint lites, quas me componere posse augurari mihi met ipse profecto non audebam. Verum quum mecum reputarem quaestionem propositam esse adolescentibus a quibus viri clarissimi inprimis sciunt nil perfectum requiri posse, novo ardore conatus sum ad finem quem mihi iam proposueram pervenire: quo eventu alii iudicent.

¹⁾ Quanti exteri, inprimis Angli, nostros de iure gentium auctores faciant operae pretium est videre apud PHILLIMORE (*Commentaries upon international law*, London 1855) ubi inter alia exempla hoc invenitur, iudicem quendam Anglum, sententiam laturum de privilegiis legatorum comitum, auctoritate nisum esse GROTII, BYNKERSHOEKII, BARBEYRACI et WICQUEFORTHII, quia nemo in patria sua de hac materia scripserat.

Pauca tantum praemonenda habeo de sensu quo quaestionem, qualis concepta sit, intellexerim, deque modo, quo responsum elaboraverim.

Et primum arbitratus sum *ius gentium* strictissimo sensu accipiendum esse, eo nempe quo nunc apud omnes recentiores scriptores usurpatur, quo etiam apud HUGONEM GROTIUM vulgo occurrit: „ius quod inter populos populorumque rectores intercedit.” Dico *vulgo* occurrit, nam unusquisque qui GROTIANUM opus perlegerit statim sentiet eum saepe diversis locis diversam dare significationem *iuris gentium* nomini. Neque quis putet discrimen hoc ad nostram rem parvi esse momenti: nam quum GROTIUS primum *ius gentium* (illa nempe, qua etiam nunc utimur, significatione accepta) in peculiaris artis disciplinaeve formam redegisset, quem honorem omnes qui unquam de hacce disciplina egerunt uno ore ei tribuunt ¹⁾, haud mirum est quod multi etiam nostratium (HUBER, VITRIARIUS, cett.) adhuc imbuti essent vetere, quem huicce vocabulo tribui solebat sensu, atque igitur copiose egerint de diversis matrimonii prohibitionibus, de modis acquirendi dominii, similibusque quae aut ad *ius civile* aut ad *ius naturae* aut ad *ius publicum* prorsus referenda sunt. Quid autem etiam in his singuli viri docti, ceteroquin *veri* *iuris gentium* peritia insignes, praestiterint, exponere longius duxi abesse a quaestionis proposito: nunc enim iure omnes irriderent ei qui in opere quod nostro tempore de *iuris gentium* disciplina prodiret ista commisceret.

¹⁾ PÖLITZ, *De mutationibus quas systema iuris naturae ac gentium a GROTIJ temporibus hucusque expertum fuerit, commentatio litteraria*, (Vitebergae 1805) § 1.

„Incidit in Scyllam qui vult evitare Charybdin.” Iure gentium sic a iure naturae, civili et publico diligenter seiuncto alia supervenit difficultas: utrum istis viris doctis etiam annumerandi essent ii qui in arte diplomatica nomen sibi et gloriam acquisiverunt? Quid tamen de ea re sentiamus, nisi fallor iam ex superioribus apparet. Non enim negamus eos qui per duo saecula res patriae egregie apud exteros curaverunt quorumque nomina cuivis in ore sunt, nec minus illustres viros qui de ipsae patriae regimine optime meruerunt, iuris gentium peritia insignes fuisse; immo iudicamus ab omnibus qui aliquo modo prudentiae politicae se tradunt nostrae disciplinae peritiam magnopere requiri oportere. Sed nisi fallor illi inclaruerunt iuris gentium sive philosophici sive positivi quae dicuntur principiis *applicandis*, non iis condendis aut *in artem redigendis*. Insuper hoc adiciere possem, *viros doctos*, de quibus in quaestione sermo est, tantum esse eos qui hoc non illud agunt; sed aliud et nisi fallor gravissimum est mihi argumentum: requiritur enim quid nostrates in iuris gentium disciplina praestiterint *post* HUG. GROTIUM, qui certe suam iuris gentium peritiam non testatus est legationibus et negotiationibus quas Sueciae regni nomine egit sed praestantissimo opere *de Iure Belli ac Pacis*.

Fortasse tota haec ratio cinatio supervacanea erit viri clarissimi! putabam tamen si forte in proposita quaestione viros qui vulgo dicuntur diplomaticos comprehendere voluistis, mihi rationem esse dandam cur secus iudicarem, imo cur contenderim contrarium ex ipsius quaestionis verbis lucide patere.

Responsum dividi in duas partes, quae in quaestione ipsa indicantur.

In priore nempe viros doctos qui post HUGONEM GROTIUM iuris gentium peritia insignes fuerunt chronologicè recensui, eo autem modo ut in chronologicis rationem haberem anni quo primum aliquid *de iure gentium* publice ediderint, eandem viam hac in re ingressus ac SAXIUS, *Onomastici* auctor, aliique post eum. Singulorum non inutile duxi addere brevem vitae conspectum qua in re tamen mihi non assumo me aliquid novi protulisse. Quod ad ipsam enumerationem attinet non tantum eos in ordinem recepi qui in ipsa nostra patria nati fuerant sed et istos peregrinos qui sive Academica institutione, sive alio modo „in Belgio nostro” hanc disciplinam excoluerunt. Si quis forte miretur me non commemorasse HENRICUM COCCEIUM, licet BURMAN eius fecerit mentionem in „*Traiectum Eruditum*,” sciat hunc vix unum et dimidium annum in Acad. Rheno Traiectina degisse (1689—1690) perque *illud* tempus quoad ego indagavi, nihil omnino in iure gentium praestitisse. Ceterum certe non praetervidendum quid nostrae scientiae profecerit in GROTIUS *illustrando*, et in permultis eius *Exercitationum curiosarum* quarum tamen quae *Traiectinae* dicuntur nulla ad ius gentium pertinet. — Ex praeterito tempore quod ipsis verbis quaestionis enunciatur, patere duxi mihi subsistendum esse in illis viris doctis qui iam diem obierunt. At quum in his desideratur tamen CORNELIS ANNE DEN TEX, nollem exinde arbitraremini, viri clarissimi! me huius eximii viri merita de iuris gentium disciplina parvi facere, contrarium enim obtinet. Persuasissimum mihi erat meas vires deficere, ut vobis laudes praedicarem illius illustrissimi viri quem fata ante hos vix duos annos patriae eripuerunt, quocum vobis maximam

semper interfuisse scio familiaritatem ac necessitudinem, cuiusque vitae actorumque laudator e vestrum numero prae ceteris egregius exstitit.

In altera commentationis parte indicare conatus sum „quid singuli in primariis iuris gentium disciplinae partibus praestiterint:” qua in re ita versatus sum ut probare conarer nullam esse iuris gentium partem praecipuam, quam nostrates non egregie attigerint, atque ita quidem ut horum scripta pro maiore parte fontes sint unde exteri auctores hauserint. Primum autem egi *de iure gentium universo*, deinde de *foederibus*, de *legatis*, de *bello*, de *iure gentium maritimo*. Unum hoc addam, me consulto non egisse de iure, quod nunc vulgo audit „*internationale*” quia id pertinere arbitror ad ius privatum non ad ius gentium, quod est „ius quod inter populos populorumque rectores intercedit,” non „ius quod spectat civitatem et alterius civitatis incolas.” — Praeterea de nostratium in hoc iure exponendo meritis iam separatim egit cons. N. NEUSTAETTER in *diss. inaug. de Ictorum Belgicorum doctrina de iure internationali* (Amst. 1848).

Fontes quibus usus sum, diligenter adscripsi, non ut vane ostentarem satis magnam quam adhibui librorum suppellectilem, sed ne de me diceretur: „vellem modo laudasset auctores quorum fide narrat, quae narravit, ne forte sit qui ei fidem abroget.” (BYNK. *de foro Legatorum* c. XVII in fine). Nullum tamen testem citavi auctorem quem non ipse inspexi. Ex exteris imprimis mihi magno fuerunt auxilio VON OMPEDA „*Literatur des Völkerrechts* (Regensb. 1785) et qui hocce opus continuavit VON KAMPTZ (Berlin 1817); WHEATON, *Histoire du Droit des Gens* (ed. 2^a Leipzig 1848), et

eiusdem *Elements of international Law* (London 1836); VON KALTENBORN, *Kritik des Völkerrechts* (Leipzig 1837); HEFFTER, *das Europaeische Völkerrecht der Gegenwart* (ed. 2^a Berlin 1848), et PHILLIMORE, *Commentaries upon International Law* (London 1855) cuius egregii operis quum adhuc duo tantum prodire volumina, me in *iure belli* exponendo non habere potuisse rationem est quod magnopere doleo. Alios tamen non prorsus praeterii scriptores; at si omnes qui de iure gentium egerint inspicere voluissem, unius vix anni temporis spatium non suffecisset.

„Saepius incidunt tempora ut Ictus non libellos conficiat de stillicidiorum ac parietum iure, non in litigandi rationibus, non in formulis actionum occupetur: sed de bello, de pace, de foederum religione, de sanctitate legatorum, de omnibus gentium officiis quid verum, aequum, iustum sit debeat expromere: de cuius sane rebus deliberasse in nostra republica ac pronuntiasse non tantum summos magistratus et magistratum ministros sed respondisse quoque Iuris consultos constat.” Haecce verba illustrissimi CRAS (*Or. de dicto Ciceronis: non opinione sed natura constitutum esse ius*” (Amst. 1790), p. 21) saepissime mihi in sequentibus conscribendis ante oculos fuerunt, animumque erexerunt: illis finem praefationi imponam: gratum enim mihi accidit (qualiscunque huius certaminis futurus sit exitus) quod, quum nostra tempora profecto ad ea pertinent de quibus CRASSIUS locutus est, hortantibus vobis, viri clarissimi! tempus quoddam meorum studiorum curriculi tribuere potuerim iuris gentium disciplinae.

PARS I,

QUA VIRI DOCTI QUI POST HUGONEM GROTIUM
IN BELGIO NOSTRO IURIS GENTIUM PERITIA
INSIGNES FUERINT, ORDINE CHRONOLOGICO
RECENSENTUR.

1. THEODORUS GRASWINCKEL ¹⁾,

Delphensis, natus a° 1600; primum causis dicendis operam dabat, deinde creatus est Belgii foederati fiscalis. Amicissimus fuit HUGONIS GROTII, cuius ex ore excepit scriptoque mandavit libros *de iure belli ac pacis* ²⁾. Diem obiit Mechlinae a° 1666 ³⁾.

Ad iuris gentium disciplinam referendae sunt quas scripsit:

Maris liberi Vindiciae adversus PETRUM BAPTISTAM BURGUM, Ligustici maritimi dominii assertorem, Hag. Com. 1652.

Maris liberi Vindiciae contra VELWOODUM, ibid. 1653.

¹⁾ [L. F. W. VON NEUMAN], *Bibliotheca iuris imperantium quadripartita*, Noribergae 1727, I. III. 2; BAYLE, *Dictionnaire historique et critique* in voce; BARBEYRAC, *Préface à Grotius: le Droit de la Guerre et de la Paix*, p. X. (Amst. 1724); KOK, *Vad. Woordenboek*, in voce.

²⁾ BAYLE, in voce *Grotius* (p. 1326 in fine.)

³⁾ Virtutes eius ac munera enumerantur in epitaphio quod in eius honorem exstat in ecclesia s. IACOBI Hagae Comitum ubi sepultus est. Cf. DE RIEWER, *Beschrijving van 's Gravenhage*, I. p. 294. Acerrimus fuit iurium monarchicorum vindex, quod testatur imprimis eius opus: *De iure maiestatis*, Hag. Com. 1642.

Structurae ad censuram I. a FELDEN in libros Grotii de Iure Belli ac Pacis, L. B. 1654 ¹⁾).

Deinde huc pertinent capita nonnulla operis, quod post mortem auctoris demum prodiit:

Speciale Beschrijvingh van het Gebruyk ofte Daadelycke Bezitting van Opperste Macht, ('s Gravenhage 1674); imprimis ex Libro II. cap. VII (*van verbonden en diergelijke*), cap. XI (*van de Zee en Zeerechten*), cap. XV (*van oorlogh*), cap. XVI (*van Ambassadeurs*).

Tandem etiam huc referendum videtur:

De iure praecedentiae inter serenissimam Venetam rempublicam et serenissimum Sabaudiae duces, L. B. 1644.

2. ULRICUS HUBER ²⁾,

Documensis, natus a° 1636. Felicissimam iam inde a pueritia in Graecis Latinisque litteris operam posuit. Anno aetatis XVI Academiae Franequerae civis adscriptus primum philosophiae, historiae, litterarum studio totum se dedit, mox et iurisprudentiae: quam ut melius excolere posset Traiectum abiit, ut ibi ANTONIUM MATTHAEUM aliosque viros clarissimos audiret. Peregrinatus per Germaniam, Heidelbergae paullisper moratus est, ibique doctoris iuris lauream post disputationem publice habitam accepit ³⁾. A° 1657 Academia Frisiae eum evocavit ad historiae et eloquentiae cathedram: deinde vero petenti concessa est facultas disputationum publice privatimque

¹⁾ Praeterea conscripsit iussu Ordd. Generalium Belg. Foed.: *Vindicias maris liberi adversus SELDENUM*; attamen quum iis librum offerret, Ordinibus non placuit eum publicari « ex sententia viri prudentissimi F. A. Domini DE SONNELSDYK, ita statuentis: rem illam non esse calami sed gladii: si Belgae non possent mare tueri classibus et armis frustra idem libris et stylo esse tentaturos; ubi arma sufficerent, libros esse ineptos et superfluos.» HUBER, *Hist. Civitatis* P. III. L. 1. S. VI. c. 1; *Bibl. iur. imper. quadr.* III. I. 3; HEINECC., *de navv. ob merc. vetit. vect. comm.* I. 1; HUBER, *Digress. Iustian.* P. I. L. IV. c. 13. § 3.

²⁾ Vide G. DE WAL, *Or. de claris Frisiae Ictis, cum ann. de vita, fatis ac scriptis Ictorum* (Leov. 1825) p. 50. seqq., 253 seqq., 445 seqq., et auct. ab eo laud.

³⁾ Vide ipsius HUBERI epistolam apud VRIEMOET, *Athenae Frisiae* (Leov. 1763) p. 448.

habendarum de iurisprudentiae disciplina, cuius institutio mox, mortuis WISSENBACHIO atque CUPIO, tota fere ei mandata. Bis Leidam evocantibus recusavit, at a° 1679 accepit dignitatem senatoris in suprema Frisiorum curia. Post triennium munere sponte se abdicavit, et quum tertia vocatio a Leidensibus obtigit „Frisiae proceres HUBERUM academiae suae ita reddiderunt ut a publicis exercitiis liber, honoris causa ageret:” ¹⁾ qua conditione mansit usque ad mortem a° 1694.

Iurisconsultus erat omnes alios suae aetatis superans; praeter insignes curas, quas historiae et iuris civilis studiis navavit, insignem se praesertim praestitit in iure publico universali tractando, quod primus ille, viam secutus quam monstraverat GROTIUS, separavit a iure constituto et ab arte politica. Atque vix aliter fieri poterat, quin qui ita iure philosophico incumberet, non totum abstineret a iuris gentium disciplina investiganda, quod testantur inprimis quae scripsit:

de Dominio maris in Part. II, Lib. IV, cap. XIII—XVI ²⁾

Digressionum Iustinianearum, Franecq. 1670;

de Iure gentium a iure naturae distinguendo in earundem P. II, L. I, c. IX;

et *de Iure civitatis adversus externos* in ultima sectione librorum *de Iure Civitatis*, Franecq. 1672.

3. ABRAHAMUS DE WICQUEFORT ³⁾,

Amstelodamensis, natus a° 1598. Electoris Brandenburgi lega-

¹⁾ DE WAL, op. laud. p. 259.

²⁾ Quatuor haecce capita in unam redacta commentationem, cui titulo: *de Dominio quod dicitur Maris* etiam reperiuntur in alio HUBERI opere: *Disputationes iuris fundamentales* (vid. Disp. XXXIII.) De hoc libro rarius iam obveniunt cf. G. DE WAL, op. l. p. 273. In exemplari quod ille vidit disputationes erant numero LXXIV, paginis 588 impressae: in eo cuius mihi copia data est reperiuntur Dispp. LXXVII, pp. 624. Utrumque titulo caret. Ex VITRINGAE autem *oratione funebri* (adfixa HUBERI operi postumo: *Eunomia Romana*), p. 14. statuendum esse videtur HUBERUM *Disputationes iuris fundamentales* quas scribere coepit „primis iuridicae professionis annis” numquam ad finem perduxisse, sed iis deinceps sedem attribuisse partim in *Praelectionibus iuris Rom. et Hod.*, partim in *Digressionibus Iustinianeis*.

³⁾ SAXE, *Onomasticon*, V. p. 37; VON OMPEDA, *Literatur des Völker-*

tus est factus Lutetiis Parisiorum ubi simul literas coluit (a^o 1626.) „Vulgo et merito, ut videtur, notatur quod in scriptis suis Gallorum partibus plus iusto faverit, Belgis autem, quamquam ipse Belga, nimium detraxerit. Cuius rei causam vel ex seqq. coniiicere licebit. A^o 1659 a Gallorum Rege intra mensis spatium Regno exire iubetur, quo tamen nondum elapso, in Bastiliam captivus, postea Electore desuper conquerente, Caletum navem ut conscenderet, deducitur. Hanc illatam illi iniuriam ut repararet quodammodo MAZARINUS Cardinalis, post trimestre literis humanissimis ut rediret eum invitat, annuamque mille Imperialium pensionem Regis nomine promittit. In Galliam reduci quotannis promissa pecuniae summa accuratissime solvitur, usque cum bello superveniente alterutram partem eligere cogatur. Quare neglecta Gallorum pensione, patriae ductus amore domum redire meditatur, quo in itinere quod quaedam Belgarum secreta Gallis aperuerit ac vendiderit quasi, in carcerem detruditur a Belgis. Quam ulturus iniuriam de violato gentium iure conqueritur et in scriptis suis quandoque parum laudabiliter Belgarum mentionem iniicit, Gallos autem ad coelum usque efferre studet ¹⁾.”

Hisce verbis brevitur totam WICQUEFORTII vitam enarratam habemus; auctor tamen *Bibliothecae* neglexit commemorare WICQUEFORTIUM in carcerem coniectum esse quum Hagae Comitum Ducis Luneburgensis esset actor. At „hinc illae lacrymae:” hinc querimoniae de iure gentium violato ²⁾. Quod ut probaret (postquam filius iam scriptiunculam ea de re ediderat) conscripsit libellum, quo multis exemplis iura ac privilegia legatorum exponeret: „*Mémoires touchant les Ambassadeurs et les Ministres Publics, par L. M. P.*” (*Le Ministre Prisonnier*): primum prodiit Coloniae 1676. Quum vero ita avide hoc opusculum legeretur, ut intra spatium trium annorum saepius recuderetur, auctor novam collegit exemplorum

rechts (Ratisb. 1785), § 226; VAN KAMPEN, *Bekn. Gesch. der Ned. Letterk.* I. p. 398 seqq.; WHEATON, *Hist. des Progrès du Droit des Gens*, Leipz. 1846. (2 ed.) I. p. 288 seqq.

¹⁾ *Biblioth. Iur. Imper. Quadr.* III. III. 5.

²⁾ V. BYNK. *de F. L.* cap. VII et XI.

copiam, et opus a° 1680 nova forma et novo titulo: "*L'Ambassadeur et ses fonctions*," prodiit. Deinde saepissime per totam fere Europam typis mandatum est. WICQUEFORTIUS a° 1679 carcere effugit et triennio post diem obiit ³⁾).

4. PHILIPPUS RHEINHARDUS VITRIARIUS.

Palatinus, natus a° 1647, primum Heidelbergae iurisprudentiae studio operam dedit. Deinde (a° 1673) Genevae iuris cathedram nactus est; mox vero (1682) professor iuris in Academia Lugduno-Batava creatus eo munere functus est usque ad mortem a° 1720 ¹⁾). Edidit:

Institutiones iuris naturae et gentium in usum serenissimi Principis Christiani Ludovici Marchionis Brandenburgici ad methodum H. Grotii conscriptas, L. B. 1692; quae postea saepius prodire, auctae ab I. I. VITRIARIO, Ph. Rh. filio, Iuris Professore in Academia Rheno-Traiectina.

5. CORNELIUS VAN BYNKERSHOEK ²⁾).

Medioburgensis, natus a° 1673; in Academiae Franquerana primum Theologiae deinde iuris disciplinae se tradidit, usus praeceptoribus HUBERO, ECKIO, aliisque. Studiis academicis peractis, causarum patronus se Hagam Comitum contulit ubi mox inclarescere coepit. A° 1703 Senator adscriptus curiae supremae Hollandiae Zelandiaeque, XX annis post Praeses huius collegii factus est. Diem obiit a° 1743.

Ictus fuit egregius in omnibus iurisprudentiae partibus, quod lucide testantur opera, quae edidit de iure publico, Romano et privato. Omnia eius opera post mortem edita sunt a VICAT Prof. Iuris (Genevae 1761).

¹⁾ Huius operis historiam narratam invenies in praefatione editionis, quae prodiit Hagae Com. apud JOHNSON a° 1724. 2 vol. 4°. Vide et c. H. VON RÖMER, *Handbuch für Gesandte*, Tom. I. (Leipz. 1791) p. 65—67.

²⁾ TE WATER, *Narratio Academica*, p. 195; *Biblioth. Iur. Imp. quadr.* I. IV. 6; SIEGENBEEK, *Geschiedenis der Loidsche Hoogeschool* (Leiden 1829—1832), Tom. II. p. 156.

³⁾ Cf. I. H. PHILIPSE, *Oratio de BYNKERSHOEKIO Icto egregio* (Franq. 1822), et auctores ibi laudati; WHEATON, *Histoire*, cet. I. p. 244—249; VON KALTENBORN, *Kritik des Völkerrechts* (Leipz. 1847) p. 97—100.

Ad nostrum argumentum pertinent:

Dissertatio de Dominio Maris, L. B. 1703 ¹⁾).

De foro legatorum tam in causa civili quam in criminali, L. B. 1721. (Versionem Gallicam edidit BARBEYRAC a^o 1723) ²⁾).

Quaestiones Iuris Publici, L. B. 1737 ³⁾).

6. IOHANNES BARBEYRAC ⁴⁾,

natus a^o 1674 in urbe Beziers, mox ob persecutionem Protestantium coactus patriam relinquere. Profugit Lausannam Helvetiorum ubi (1711) munus Professoris ordinarii iuris et historiae auspicatus est. Sex annis post idem munus in Academia Groningana obiit, quo ad mortem usque (a^o 1744) functus est.

Opera eius et versiones quas edidit PUFENDORFII, GROTII, BYNKERSHOEKII, aliorumque multifariae sunt ⁵⁾. Ad nostram rem spectant:

PUFENDORF, *Droit de la nature et des gens traduit par M. JEAN BARBEYRAC avec des notes du même et une Préface qui sert d'introduction à tout l'ouvrage*, 1706.

VAN BYNKERSHOEK, *Du juge compétent des ambassadeurs*, 1723.

GROTIUS, *Droit de la guerre et de la paix, traduit par JEAN BARBEYRAC avec des notes et une préface du traducteur*, 1724 ⁶⁾).

¹⁾ Fallitur WHEATON (*Hist.* I. p. 244) scribens hanc dissertationem editam esse a^o 1702; vide, quae BYNKERSHOEKIUS ipse de ea dicit in *Q. I. Publici* II. 21. Ex hoc loco (quem etiam praetervidisse videtur VON KALTENBORN, *Kritik*, p. 98 in adn.) apparet auctorem repetita editione quae prodiiit a^o 1730 inter eius *Opera Minora* (L. B. 1730), respondisse adversariis quos nactus erat.

²⁾ Cf. WHEATON, *Hist.* cet. I. p. 290—310.

³⁾ Vide VON OMPEDA, § 150.

⁴⁾ VAN KAMPEN, *Bekn. gesch. der Ned. Letterk.* II. 315, ubi perperam tamen narratur eum natum fuisse Lausannae; cf. VOLTAIRE, *Siècle de Louis XIV*, in voce: BARBEYRAC.

⁵⁾ Enumerantur a VAN KAMPEN, (op. l.) III. p. 185 seqq.

⁶⁾ Praefationem et notas Gallicas hic commemoramus quia praefatio editioni Latinae Grotiani operis praefixa, exteriorem formam tantum spectat et nihil omnino agit de ipsa materia; quod ad annotationes attinet, BARBEYRAC ipse in praefatione Latina dicit notas Gallicas longe meliores et ampliores esse. Editio Latina prodiiit a^o 1710, secunda vice 1735.

Défense du droit de la compagnie des Indes Hollandaises contre les nouvelles prétentions des habitants des Pays-Bas Autrichiens, 1725.

Histoire des anciens traités ou Recueil historique et chronologique des Traités répandus dans les auteurs Grecs et Latins et autres monuments de l'Antiquité, depuis les temps les plus reculés, jusques à l'Empereur Charlemagne; est vol. I operis celeberrimi: Supplément au Corps universel Diplomatique du Droit des Gens (Amst. et la Haye 1739).

7. ABRAHAMUS ROTGERS,

Iuris antecessor, primum Harderovici, deinde Groningae, iuris doctoris gradum capessivit in Academia Lugduno-Batava,

Dissertatione qua demonstratur ius gentium non dari, a° 1710 ¹⁾.

8. IOANNES THEOPHILUS HEINECCIUS ²⁾.

„Iuris consultus, philosophus et litterator quondam insignis”, natus Eisenbergae, in municipio Principatus Altenburgensis, a° 1681. Studiis summa cum laude in variis disciplinis Lipsiae peractis, Halae (a° 1713) philosophiam publice docendi munus adiit, cui mox (1720) dignitas professoris iuris addebatur. Interea etiam apud exteros inclaruit nec mirum igitur quod duae Academiae simul eum evocarint. „Posthabitis autem Viadrinis conditionibus, Franequeranas accepit, et ita Academiae Frisiacae novum illustre nomen adiecit.” Tempori quo hic degebat tribuenda sunt scripta complura: *Elementa iuris civilis; Commentarius ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam*, aliaque: sed inprimis animadvertendum est, eius opera post mortem edita: GROTIUM et PUFENDORFIUM *illustratum* praelectiones esse, quibus auctores istos Franequerae explicavit ³⁾. Valetu-

¹⁾ Cf. DE WAL, *Inleiding tot 't Europ. Volkenregt*, p. 44 et passim.

²⁾ Vide *Commentarium de vita, factis et scriptis* IO. THEOPH. HEINECCII a filio editum et praefixum eius *Opp. Omn.*, ed. Genevae 1771, 9 voll.

³⁾ Cf. *Commentarium* supra laud. p. XXVIII. Hanc ob causam inprimis HEINECCIUM inter eos qui in patria nostra iuris gentium peritia insignes fuerunt retulimus, licet plerumque etiam apud nostrates dicatur *Ictus Germanicus*; vide v. c. [R. LUZAC], *lettre à Rousseau*, p. 97.

dinis causa Franequerae diu commorari non potuit, hanc igitur Musarum sedem non sine moerore 1) reliquit et Viadrinorum votis obtemperavit, ut in ea Academia ius civile et philosophiam doceret (1727). Hic quum iam sextum egerat annum, iussu regio coactus est iterum Halam migrare, ubi tandem usque ad mortem (a° 1741) mansit. Ex magno eius de diversis iurisprudentiae partibus operum numero ad ius gentium referenda sunt:

Dissertatio de navibus ob vetitarum mercium vecturam commissis, Halac 1721 2).

Elementa iuris naturae et gentium, Halae 1738.

Dissertatio de iure Principis circa commerciorum libertatem tuendam, Halae 1738.

Praelectiones Academicae in HUGONIS GROTII de iure Belli ac Pacis libros III, Berolini 1744.

9. GERARDUS NOEST,

Bredanus, discipulus I. I. VITRIARII, cuius auspiciis in Academia Lugduno-Batava operam navavit iuris publici studii; Ictus haud infimae notae, ac magistratus urbis Purmerendae. Quid circa iuris gentium disciplinam egerit, iam ex titulo eius operis patet:

Het Algemeen Staatsrecht gebruikelijk in tijden van vrede en in den oorlog, opgehelderd uit de reden en uit het recht der natuur en der volken volgens de orde en de schikkingen van des Heeren HUGO DE GROOTS Recht des Oorlogs en Vredes, en toegepast op de voornaamste gebeurtenissen in de oude en nieuwe historien te vinden, in 't bijzonder op de geschiedenissen der Vereenigde Nederlanden, doormengd met velerlei staatkundige aanmerkingen en regelen aangaande het burgerlijk bestier, door Mr. GERARD NOEST, Oud President-Schepen der stad Purmerende, Amst. 1753.

1) Cf. *Comment. laud.* p. XXX.

2) Huius dissertationis Belgica prodiit versio: *Over schepen, wegens het vervoeren van verboden goederen verbeurd verklaard, in 't Latijn beschreven door I. G. HEINECCIUS, en in 't Nederduitsch overgezet door P. SCEPARUS VAN EYBERGEN, Amst. 1757.*

10. FREDERICUS GUILIELMUS PESTEL ¹⁾,

natus a^o 1724 Rinteli, ubi aetate vix viginti trium annorum iam Professor iuris creatus et postea curiae supremae senator lectus est. A^o 1763 Professoris munus in academia Lugduno-Batava ei oblatum auspicatus, Gubernatoris et totius domus Arausiacaе partes tam acriter ibi suscepit, ut tempore rerum conversionis (1795) una cum BROERSIO et KLUITIO Professoris munus ei ademptum sit. Decem annis post diem obiit supremum (1805). Multa reliquit opera et opuscula, quorum pleraque ius gentium spectant:

Prolegomena iuris naturae et gentium, Lemgov. 1756.

Diss. de eo quod interest inter ius et rationem belli, Lemgov. 1758.

De damnis ex negligentia iuris publici in civitates redundantibus, L. B. 1763,

De dominio maris mediterranei Romanis temere adscripto, Rinteli 1764.

De differentiis in veteri et recentiori gentium Europaeorum politica, L. B. 1778.

Commentarii de Republica Batava, L. B. 1782, deinde iterum 1789 & 1795 ²⁾.

Oratio de fructibus, qui ex Iurisprudencia perfectiori ad populos Europaeos saeculo XVIII pervenerint, L. B. 1789.

11. FRANCISCUS FAGEL,

Specimen iuris publici inaugurale de Guarantia Foederum, L. B. 1759.

12. ALBERTUS PLOOS VAN AMSTEL, Ian fil.;

Specimen Acad. Inaug. de iure commercii, quod gentibus in bello mediis competit, L. B. 1759;

¹⁾ TE WATER, *Narratio Academica*, p. 227; BILDERDYK, *Pestel, Gedachtenisrede*, Leiden 1809; SIEGENBECK, *Gesch. der L. H.* II. p. 209 sqq.

²⁾ De harum editionum discrimine cf. TYDEMAN ad BILDERDYKII *Gesch. des Vaderl.* XIII. 1. p. 196.

quod anno sequenti nonnullis additis annotationibus et appendice quaedam de navium apprehensione continente Belgice, prodiit sub titulo:

Verhandeling over het Recht van commercie tusschen onzijdige en oorlogvoerende volken, door Mr. ALB. PLOOS VAN AMSTEL, Amsteld. 1760.

13. ELIAS LUZAC ¹⁾,

natus Nordvici (Noordwijk) a^o 1723 ex gente, quae propter revocationem edicti Nannetensis ex Gallia huc transfugit, atque in nova patria per longam annorum seriem ét de literis ét de republica optime meruit. Academiae Lugduno-Batavae alumnus, E. LUZAC operam dedit inprimis studiis philosophicis, quibus etiam deinceps maiorem vitae partem tribuit. Muneribus publicis non functus est; totum se dedit tum causis dicendis, tum literis artibusque excolendis. Magnus eius exstat scriptorum numerus, in quavis fere parte philosophiae theoreticae, quam plerumque tamen cum iuris disciplinae summis principiis coniunxit. Separatim de iure gentium non egit sed multa praeclara de hoc argumento conscripsit, inprimis in hisce tribus operibus:

MONTESQUIEU, *de l'Esprit des lois avec des Remarques philosophiques et politiques d'un Anonyme*, Amst. & Leipzig 1763. 4 vol. 12^{mo} ²⁾.

Lettre d'un Anonyme à Mr. J. J. ROUSSEAU, Paris et Londres 1766; et *Seconde Lettre*, ibid. 1767 ³⁾.

Institutions du Droit de la Nature et des Gens. Traduites du Latin de Mr. DE WOLFF, avec des Notes, par M. ELIE LUZAC, Leide 1772.

¹⁾ Vide H. C. GRAS, *Notice sur la vie et les Ecrits d'ELIE LUZAC*, praefixa huius operi: *Le Bonheur, ou nouveau système de jurisprudence Naturelle*, Amst. 1820; quae etiam invenitur apud MARCHAND, *Bibliothèque Universelle*, in voce, et in diario *de Kunst- en Letterbode*, 1813.

²⁾ Vide GRAS, *Notice* p. [13] et BARBIER, *Dictionnaire des ouvrages anonymes*, Tom. I. p. 414, N^o. 5432. GRAS scribit l. l. hanc MONTESQUIEVII editionem constare 6 voluminibus: ego tantum 4 vidi, et opus tamen hisce absolutum videbatur.

³⁾ GRAS, ibid. p. [14] et BARBIER op. l. Tom. II. p. 245, N^o. 9652.

14. IOHANNES HENRICUS ENTRUP,

Specimen iuris gentium inaugurale quo praecipua civitatis gentium maximae atque iuris earundem voluntarii seu positivi inde derivandi fundamenta destruuntur, Gron. 1765.

15. HENRICUS CONSTANTINUS CRAS ¹⁾,

Lugduno-Batavus, natus a° 1739, in patria ad iurisprudentiae studia accessit. Audivit HEMSTERHUSIUM et OUDENDORPIUM, LULOFSIUM et ALLEMANDUM, RUCKERUM et SCHELTINGA, sed plus etiam quam horum doctrina profuit ei quotidiana consuetudo cum ELIA LUZAC, qui unus omnium eum accendit ad studia iuris philosophici, quibuscum coniunxit assiduam lectionem auctorum classicorum inprimis CICERONIS: quorum studiorum specimen dedit in dissertatione inaugurali qua ostendit CICERONEM *iustam pro CAECINA causam dixisse* (L. B. 1769). Docta hacce scriptione omnium oculos in se ita contulit ut biennio post ei deferrent Illustris Athenaei Amstelodamensis curatores munus professoris iuris, primum iuris civilis deinde etiam iuris publici: mox vero quum curatores ei collegam adiunxissent qui ius civile doceret, totum se vovit iuri naturali, publico et gentium. Quid in hisce praestiterit, testantur eius orationes Amstelodami habitae, testatur et dissertationum numerus per decem fere lustra ab Athenaei alumnis CRASSIO praeside defensarum ²⁾. Erga ius gentium optime meruit duplici eius disciplinae conditoris laudatione. Primum nempe in:

Oratione qua perfecti Icti forma in HUGONE GROTIO spectatur, Amst. 1775. Deinde in:

Laudatione HUGONIS GROTII, Amst. 1796; quae in publico certamine ab Academia Regia Disciplinarum liberalium Sueciae palmam accepit.

¹⁾ Vide I. M. KEMPER, *Memoria H. C. CRASSII*, Amst. 1825; et eiusdem *Lijkrede op Mr. H. C. CRAS*, Amst. 1820, quam auctor ipse praefixit operi *Nagelaten Verhandelingen en Redvoeringen van Mr. H. C. CRAS* (Amst. 1822), quam auctoris filius etiam inseruit in: *Verhandelingen Redvoeringen en Staatkundige Geschriften van Jonkhr. I. M. KEMPER*, Amst. 1836 3 vol. Tom. II. p. 317, seqq.

²⁾ KEMPER, *Memoria*, cet. p. 12, 13.

16. LAMBERTUS IULIUS VITRINGA,

Arnhemia-Gelrus, Ictus eximius ut patet ex iis quae scripto mandavit, de cuius vitae actisque perpauca tamen nobis innouere. Franequerae anno 1773 gradum doctoratus in iure Romano atque hodierno capessivit, *specimine historico-politico-iuridico inaugurali exhibente nonnulla de reformationibus civitatum*. Deinde causarum patroni munere Hagae comitum functus immiscuit se, licet anonyme, in contentionibus ortis inter cons. SCHORER, VAN DE SPIEGEL, aliosque de iuris conditione in patria nostra, deque utilitate codicum scribendorum ¹⁾. Eodem fere tempore, opportunitate belli Angliam inter et Americae civitates unitas, opusculum edidit de iuribus et officiis gentium in bello mediarum, cui titulus:

Gedachten over de belangen en pligten der onzijdige Mogentheden en hunne onderdanen, bijzonder van dezen Staet bij gelegenheid der jegenswoordige Noord-Americaansche onlusten, door Mr. L. I. VITRINGA, Advocaat voor de hoven van justitie in Holland, 's Hage 1778 ²⁾.

Post rerum conversionem anno 1795 ei et quinque aliis civibus publice mandatum est ut inquirerent an ius decimarum legibus congruum esset: iudicium autem quod VITRINGA hac de re tulit etiam nunc magni aestimari solet ³⁾.

17. HENRICUS FAGEL,

Dissertatio iuridica inauguralis, de Foederum Sanctitate, L. B. 1785.

¹⁾ Scripsit autem: *De eer der Holl. natie en van hare wetgevers, Rechters en Rechtsgelorden verdedigers tegen het vertoog van Mr. w. SCHORER door eenen jongen Practizijn ('s Hage 1777)*. Cf. LANTSHIER, *Diss. de rebus a LAUR. PETRO VAN DE SPIEGEL in Zelandia gestis et scriptis* (Traj. 1843), p. 43—58 et G. W. VREEDE, *de Regering en de Natie* (Amst. 1845), p. 98.

²⁾ Prostat in Bibliotheca Regia Hagana: ceteroquin rarissime hodie reperitur.

³⁾ Vid. MEYLINK, *Pleitmemorien over het Tiendregt* (Bijlagen) et VAN HALL, vir. cl. in *Jaarboeken voor Regtsgel. en Wetg.* 1842, p. 388.

18. FREDERICUS FRANCISCUS LUDOVICUS PESTEL,
*Specimen iuridicum inaugurale exhibens selecta capita
 iuris gentium maritimi*, L. B. 1786.

19. ADRIANUS KLUIT ¹⁾,

Dordracenus, natus a^o 1735, grammaticus, historicus, sol-
 lertissimus diplomatum et chartarum Reipublicae Batavae medii
 aevi conquisitor, et archaeologus. Academiae Traiectinae fuit
 alumnus: deinceps Rectoris tum scholae Alcmariensis, tum
 Gymnasii Medioburgensis munus obiit, donec a^o 1779 evoca-
 tus in Academiam Lugduno-Batavam, Professor Antiquitatum
 et Historiae Patriae inprimis Diplomaticae Belgii Foederati.
 Licet igitur ex hisce videretur tantum suam sedem habere in-
 ter eos qui inclaruerunt in patriae historia excolenda, summo
 tamen iure ei etiam in hac nostra serie locus competit, non
 solum propter accuratam foederum cognitionem et descriptio-
 nem, unde magna pars iuris gentium cognoscenda est, sed in-
 primis propter egregias disputationes de nonnullis in iure gen-
 tium controversiis; quae reperiuntur maxime in ultimis capitibus
 operis cui titulo:

Historiae Foederum Belgii Foederati primae lineae, 2 vol.

L. B. 1790, 1791.

Cui tertiae partis loco addidit:

*Indicem chronologium sistentem foedera ab Ordinibus
 Reip. Belgicae foederatae inita cum gentibus intra et extra
 Europam*, L. B. 1790.

A^o 1795 KLUITIUS in trium illorum Professorum numero
 fuit qui magnopere se devinctos esse quum probassent Arau-
 siacae genti et veteri rerum ordini, per septennium docendi
 munere summoti sunt. Notum est eum periisse in magna illa
 calamitate quae a^o 1807 urbis Leidensis partem vastavit.

¹⁾ Vide SAXE, *Onomast. Hist.* Tom. VIII. p. 320—324 et *Levensschets
 van A. KLUIT in BILDERDIJK en SIEGENBEEK, Leidens ramp*, p. 86 seqq.
 (Amst. 1808), ubi nonnulli SAXII errores indicantur. VON KAMPTZ op.
 laud. p. 73 bis scripsit »ANTONIUS KLUIT“: unde fere coniiiceremus eum
 ne titulum quidem operis inspexisse; ceteroquin etiam VON KAMPTZ creber-
 rimos et turpissimos errores commisit.

20. PETRUS PAULUS 1),

Flandrus, natus anno 1754 in urbe Axel; Ictus egregius, qui iam iuvenis aetate octodecim annorum famam quandam nactus est, opusculo: *Het nut der Stadhouderlijke regering* (1772). Deinde Lugduni-Batav. (1774) iuris utriusque doctor creatus (*dissert. inaug. de origine progressu et solutione nexus feudalis Flandriam inter et Zelandiam*, L. B. 1774) maius sibi acquisivit nomen edito opere; *Verklaring der Unie van Utrecht* 1775—1778. Mox immiscere se coepit rebus politicis et ita quidem ut anno 1788 summoveretur a munere iudiciario quo fungebatur. Restitutus est post rerum conversionem anno 1795; at brevi tempore post, quum praeses esset concilii, cui nomen *Provisioneel bewind*, diem obiit (die 17 M. Martii 1796).

Non nostrum est hoc loco diiudicare quid boni quid mali egerit in politicis rebus 2): hoc tantum monebimus omnes semper laudes extulisse eius ingenii, doctrinae et summae eruditionis. De iure gentium paucis egit in commentatione cui titulus:

Verhandeling over de vrage: in welken zin kunnen de menschen gezegd worden gelijk te zijn en welke zijn de regten en pligten die daaruit voortvloeien. (Haarlem 1793),

cuius ultimum caput inscribitur:

Gevolgen uit de gelijkheid der menschelijke regten en pligten in den natuur- en burgerstaat tusschen de volken onderling voortvloeiende.

1) BILDERDYK, *Gesch. des Vaderl.* vol. XII. passim, et TYDEMAN (*Opheld. en Bijv.*) ibidem p. 144 sqq. et 308 sqq.; VREEDE, *de Regering en de Natie*, p. 91 sqq., p. 137 sq. et passim, et eiusdem *Bijdragen tot de Gesch. der omwenteling van 1795 tot 1798* (Amst. 1847) p. 79 sqq. et passim; GROEN VAN PRINSTERER, *Handboek* § 707, 777, 874, 876.

2) Enm, qui fortasse miratur PAULUM iuvenem scripsisse pro regimine gubernatorio, deinde vero participem fuisse rerum novarum molitionis ablegamus ad VREEDE, *de Regering en de Natie*, p. 92 sqq. quocum tamen omnino conferatur GROEN V. PRINSTERER, *Handboek* § 707 et passim.

21. CORNELIUS VOLLENHOVEN ¹⁾,

Amstelodamensis, natus a^o 1778; vir spectatissimus, artium litterarumque eruditissimus, qui per decem lustra (1799—1849) multis et multiplicibus honoribus functus optime de patria meritus est. Iuvenili aetate strenue incubuit iuris gentium disciplinae, quod testatur disputatio, quam praeside H. C. CRAS, viro cl., Amstelodami defendit:

De vi et natura pactionis quae dicitur capitulatio,
Amst. 1797;

et magis etiam specimen iuridicum inaugurale quo gradum doctoris iuris capessivit:

De iuribus atque officiis gentium in bello mediarum circa navigationem et mercaturam ex iure gentium universali et Belgarum ex iure pacticio, L. B. 1799.

22. GABINUS DE WAL ²⁾,

Leovardiensis, natus a^o 1785, ubi quum gradum Doctoratus in Acad. Groningana adeptus esset (a^o 1808) munus tabelionis et causarum patronatum suscepit, mox socius adscriptus tribunali primae instantiae. Instituto Athenaeo Franequerano regis decreto professor iuris creatus est: sed quum ibi in omni fere iuris disciplinae parte quotidie versari deberet, gratum ei accidit quod sex annis post Groningam vocaretur; hic enim iuris philosophia et historia ei docendae erant, in quibus colendis totus versatus est usque ad vitae finem, a^o 1833. Orationes quas variis temporibus habuit ³⁾ nec minus alia eius opera, sive in diariis quibusdam, sive separatim edita, hominem probant acutum et eruditum. Doctissimo inprimis opere: *de*

¹⁾ Cf. quae de eo scripserunt filius, cons. H. VOLLENHOVEN, et H. W. TYDEMAN, vir. cl. in *Handelingen der Maatschappij van Ned. Letterkunde te Leiden*, anno 1850.

²⁾ Cf. G. A. DEN TEX, in *Bijdragen voor Regtsgel. en wetg.* VIII. p. 151 seqq.

³⁾ Inter quas praecipuum locum obtinet *or. de cluris Frisiae Ictis*, a^o 1825 doctis annotationibus adiectis separatim edita et supra iam saepius a nobis laudata.

iure naturae ¹⁾ ab Instituto Regio aureo praemio ornato, acerrimi huius disciplinae defensoris nomen sibi acquisivit. Quid in iuris gentium studio praestiterit haec duo testantur opera:

Dissertatio de coniunctione populorum ad pacem perpetuam, Gron. 1808;

Inleiding tot de wetenschap van het Europeesch volkenrecht, Gron. 1835. (Post mortem auctoris edidit C. STAR NUMAN, vir. cl.)

22. FRANCISCUS ERNESTUS BERG VAN MIDDELBURG ²⁾, natus a^o 1803, causarum patronus Amstelodamensis morte nimis natura iurisprudentiae studiis ereptus (1834). Totus fere fuit in iure gentium publicoque excolendo.

In lucem prodierunt:

Diss. inauguralis de foederibus patrocinii ex historia et iure publico atque gentium illustratis, Trai. ad Rhen. 1824;

In hoever volgens de jongste verdragen de onzijdige vlag de waar dekt? in *Bijdragen tot rechtsgeleerdheid en wetgeving*, door Mrs. C. A. DEN TEX en J. VAN HALL. (1827) II, p. 247 seqq.

Over de afschaffing der kaapvaart (responsio ad quaestionem a societate Ultraiectina propositam, praemio ornata) Utrecht 1828.

Praeterea conscripsit aliam non minus egregiam commentationem: "*De Nederlanden en het Hanseverbond*," (Utrecht 1833), quae eodem modo lauream accepit. Haec tamen commentatio non spectat nostrum argumentum; sed in historia rationum, quae Belgis cum exteris fuerunt civitatibus, optime suam sedem haberet.

24. NICOLAUS OLIVIER,

Het zeerecht van vroegeren en lateren tijd, 's Gravenhage 1831.

¹⁾ G. DE WAL, *Prijsverhandeling over het bestaan, den aard en de behandeling van het Natuurrecht*, Amst. 1833.

²⁾ Cf. DEN TEX, in *Bijdr. tot rechtsg. en wetg.* VIII. p. 164 seqq.

PARS II,

QUA EXPONITUR, QUID VIRI DOCTI QUI POST HUGONEM
GROTIUM IN PATRIA NOSTRA IURIS GENTIUM PERITIA
INSIGNES FUERINT, IN PRIMARIIS HUIUS DISCI-
PLINAE PARTIBUS PRAESTITERINT.

Recensitis igitur viris doctis, qui post HUGONEM GROTIUM in patria nostra iuris gentium peritia aliquo modo inclaruerunt, accedendum est ad alteram et longe graviolem nostrae commentationis partem: rationes enim nobis reddendae sunt cur singulos in illam virorum doctorum seriem retulerimus, quod statim patebit quum examinaverimus quid singuli in primariis iuris gentium disciplinae partibus praestiterint.

Ut autem recte et ordine illam inquisitionem instituamus, primum dispiciemus quid nostrates egerint *de iure gentium univcrse*, sive de fontibus unde hauriatur, deque eius summis principiis: deinde accedemus ad praecipuas nonnullas iuris gentium partes, sive aliis verbis, indagabimus quid praestiterint nostrates in exponendo *iure foederum, iure legationum legatorumque, iure belli, iure gentium maritimo* ¹⁾.

Pauca tamen liceat praemittere de ea significatione quam nos iuri gentium tribuimus.

¹⁾ *Praecipuas* dicimus iuris gentium partes: unde iam patet nos non arbitrari eos tantum, quas nominavimus quaestiones, pertinere ad ius gentium: optime enim scimus etiam alias eo adducendas, esse sed nobis tantum agendum est de primariis illis, in quibus viri docti in patria nostra aliquid praestiterunt.

Iuris significationem triplicem esse docet GROTIUS ¹⁾: „ius est quod non iniustum est; ius est qualitas moralis personae competens ad aliquid iuste habendum vel agendum: ius est idem quod lex, quoties vox legis largissime sumitur.” Ius priore sensu acceptum (quod illustrat auctor noster hisce exemplis: nefas esse alteri detrahere sui commodi causa: nefas esse hominem homini insidiari, similibus) est illud, quod a Deo ipso cuiuslibet hominis conscientiae insitum est, quodque oppositum iuri, quod homini datur aut tamquam civi, aut tamquam membro totius universi, melius dicitur *doctrina moralis* ²⁾. Neque hoc fere aliud quid est quam, quod GROTIUS postea vocat ius naturale, sive „dictatum rectae rationis indicans actui alicui ex eius convenientia aut disconvenientia cum ipsa natura rationali ac sociali, inesse morale turpitudinem aut necessitatem moralem, ac consequenter ab auctore naturae Deo talem actum aut vetari aut praecipi” ³⁾.

Altero sensu ius a multis Ictis *facultas* dicitur, GROTIUS vero id *ius proprie ac stricte dictum* appellat: continet enim potestatem tum in se tum in alios, dominium, creditum. Atque haec ut singulis hominibus ita et totis gentibus tribui potest: nam quis negabit v. c. iusto titulo praecedente (bello nempe aut foedere) genti alicui in alterius territorio dominium quoddam acquirendi ius esse?

Tandem ius idem significat ac lex, largissime sumpta: forma igitur accipitur pro re ipsa, nam quid aliud est lex nisi norma, quae regit unumquodque ius habendi vel agendi?

Largissima autem illa legis significatio continet et ius scri-

¹⁾ *De Iure Belli ac Pacis*, I. 1 § 3, 4 et 9. (Usus sum editione, quam, additis GRONOVII et BARBEYRACII annotationibus, edidit HEINARDUS TYDEMAN. Trai. ad Rhen. 1773).

²⁾ STAHL, *Die Philosophie des Rechts*, Tom. II. (Ed. 3. Heidelberg 1854) p. 191 sqq. Multi inde (v. c. MERLIN, *Repertoire de Jurisprudence* (Brux. 1826), in voc. *Droit.*) duplicem tantum iuris vocabulo significandi potestatem tribuunt.

³⁾ I. 1 § 10. Cf. WHEATON, *Elements of international law* (London 1836) vol. I. p. 33 sqq. Nostratum primus cl. F. G. PESTEL docuisse videtur distinguendum esse inter ius naturae et doctrinam moralem: vid. BILDERDYK, *Pestel, Geduchtenisrede* (Leiden 1809) p. 36. sqq.

ptum, quod nunc *κατ' ἐξοχὴν* legem vocant, et ius non scriptum, quod descendit aut ex iure naturali ¹⁾ aut ex consuetudine. Hanc iuris interpretationem inprimis spectamus, quum sermo nobis est de iure gentium: hoc enim nomine nihil aliud hodie significatur quam (ut GROTII verbis utamur ²⁾) ius, quod inter populos plures aut populorum rectores intercedit ³⁾.

De fontibus, unde hoc ius derivandum sit in varias partes disputatum est.

Postquam GROTIUS iuris gentium fundamenta posuerat in ipsa natura legibusque divinis, in moribus atque in pactis ⁴⁾, eius sectatores in duas fere abiire partes: aut enim (sicut PUFENDORF, BARBEYRAC, THOMASII) nullum aliud in gentium inter se rationibus valere posse contendebant, quam ius gentium naturale, quia nullae exstabant neque (quia nullus erat legislator gentium supremus) ullae exstare poterant leges, et consuetudinem vim legis habere negabant: aut (sicut SELDENUS, ZOUCHAEUS, RACHELIUS) nullum ius gentium naturale separatum ab universo iure naturae agnoscebant et nostram disciplinam ponebant tantum in pactis moribusque populorum. Ab utraque parte GROTIUS auctor habetur et operae pretium est videre quomodo ab utraque parte eius dicta interpretati sint ⁵⁾.

Si nobis aliquid diiudicare liceat, apud utramque partem veritas quaerenda est.

1) Cave tamen ne hoc ius naturale confundas cum illo, quod GROTIUS l. l. definivit, quodque melius, ut iam diximus, dicitur doctrina moralis: sunt enim multa iura, quae ex ipsa rerum natura nobis competunt, quaeque egregie dicuntur iura naturalia v. c. ius communibus rebus utendi, ius suum per vim consequendi, ius nullius res occupandi: in iis autem nulla est turpitudine moralis neque magis necessitas qua ab iis deterreemur, aut qua ad ea facienda cogemur. Mox videbimus hoc, quod nos vocamus ius naturale distinctum a doctrina morali idem fere esse quod apud GROTIUM (l. 1 § 14) audit ius gentium voluntarium.

2) Proleg. § 1.

3) Varias variorum definitiones videre est apud G. DE WAL, *Inleiding tot de wetenschap v. h. Europ. Volkenregt*, p. 2 sqq.

4) Proleg. § 1.

5) Scripta, quae ab utraque parte in lucem prodire et argumenta in illis allata et saepius repetita egregie persecutus est VON KALTENBOER, *Kritik d. Völkerrechts*, p. 47—62.

Ius Gentium naturale quod vulgo sic dicitur nihil aliud est, quam ius naturae totis gentibus applicatum: separatam igitur iuris partem per se dici nequit ¹⁾).

Ut enim in iure civili non diversum, sed idem ius est, quod singulis civibus ac civium societatibus sive personis moralibus competit, sic etiam non diversum sed idem ius est, quod natura dedit singulis hominibus ac iis in gentes civitatesque congregatis ²⁾. Verum ut ius civile, quum ad societates sive personas transfertur necessario nonnullas mutationes subire debet, sic ius quoque naturale gentibus applicatum modificationes nonnullas accipiat necesse est, quae gentium consensu introductae sunt: in his autem iudicandis et firmandis versatur imprimis iuris gentium disciplina ³⁾).

Inde sequitur nos non cum iis facere, qui contendunt ius naturale cum gentium iuribus nihil commune habere: immo ducimus gentes aequae ac singulos homines teneri eius praeceptis, easque, nisi summis iuris principiis violatis, nullas inter se constituere posse leges, quae pugnent cum lege illa aeterna ⁴⁾).

¹⁾ Omnino igitur consequenter agere eos ducimus, qui cum negent aliud ius inter gentes valere posse, quam ius naturae, totum ius gentium abiciant: cuius rei exempla infra saepius videbimus.

²⁾ Cf. clar. DEN TEX. *Encyclopaedia Jurisprudentiae* (Amst. 1839) § 129.

³⁾ Omnino de toto hoc argumento conferatur WHEATON, *Elements* cet. Vol. I. cap. 1, quod inscribitur *Sources of international law*. Egregie ius gentium sic definit: »The law of nations or international law as understood among civilised, christian nations may be defined as consisting of those rules of conduct, which reason deduces as consonant of justice from the nature of the society existing among independent nations, with such definitions and modifications as may be established by general consent.» (p. 54).

⁴⁾ Cf. PHILLIMORE *commentaries upon International Law*. (Lond. 1854) l. p. 25 et 26; BILDERDIJK op l. p. 31 et HEFFTER op l. p. 174. — De populorum salute et securitate actum esse simulac summa iuris gentium principia, quae ex illa aeterna lege naturali profluunt, spernuntur docuit recentiorum temporum historia. Luculentissime hoc indicavit Ampl. GROEV VAN PRINSTERER in op. *Beschouwingen over Staats- en Volkenregt*. (Leiden 1834.) passim, inpr. p. 14 et 33; sed, duce ipsa historia, luculentius etiam in opere *Handboek der Geschiedenis van het Vaderland*. § 587: »Hagchelijk was de gesteldheid van Europa (1747—1795), minder om de

Sed ab altera quoque parte strenue contendimus ius naturae sicut non sufficit ad mutuam singulorum civium societatem regendam, eodem modo non sufficere ad gentium inter se rationes dirigendas. Idque ita sese habere tota gentium historia nos docet. Sunt enim inter gentes (certe inter omnes fere eas, quae moratiores dicuntur) multa iura constituta sive expressa pactis foederibusque, sive diuturna consuetudine stabilita et donec abrogentur, tacito consensu confirmata, quae ex iure naturali derivari nequeunt.

Garriunt autem, qui consuetudini vim legis abnegant, tacitique consensus auctoritatem tollunt: verum est, quod et universi iuris historia comprobatur, diuturnam consuetudinem vim legis habere: mutatis mutandis; in iure gentium valet, quod egregie de iure civili dictum est: „quum ipsae leges nos teneant, quod iudicio populi receptae sunt, merito et ea, quae sine ullo scripto populus probavit tenebunt omnes: nam quid interest suffragio populus voluntatem suam declaret an rebus ipsis et factis?“¹⁾ Neque quis obiiciat ex pactis nullam nasci obligationem: „pactum legem facit intra contrahentes“ et sive id ineatur verbis sive tacito consensu (qualia ipsi quotidie multis modis inimus), illi, qui pactum contrahunt eo ipso simul tenentur obsequi eius pacti legibus²⁾. Facile esset haec omnia illustrare exemplis, neque fortasse inopportunist foret, nisi in sequentibus saepe cogereur repetere ea, quae modo in medium

hevigheid van een' oorlog als de 7-jarige krijg, dan wel, omdat te midden van den vrede de grondslagen van het Volkenregt, heiligheid van eigendom, goede trouw der verdragen, zelfstandig aanzijn der natiën, weerszijdsche gehechtheid van stamhuis en bevolking, een voorwerp schenen te zijn van miskenning en spotternij. — Te vergeefs had de ervaring geleerd dat op den duur de waarborg voor allen in de veiligheid ook van den minstvermogende ligt. Er was verstandhouding der magtigste Vorsten om elkander, met te nietdoening van verbonden, in de uitoefening van het regt des sterkeren onderling behulpzaam te zijn.” — et § 843: »Het Ius Gentium bleef (1795—1840), met ter zijdestelling van hooger beginsel op *conventie* en *convenientie* gebouwd.” Cf. et § 608, 698, 794 cet. — Vid. et VAN DIJK, *Bijdrage* cet. (op. l.) p. I—V. et auctores ibi laudatos.

¹⁾ L. 32. sqq. ff. *de legibus* (I: 3).

²⁾ Cf. DEN TEX. Op. l. § 128 et 131.

protulimus, quum ultro idonea exempla se praebitura sint, quibus nostram opinionem confirmemus.

Nunc certe satis superque tempus est, ut propositam viam ingrediamur.

SECTIO I.

DE IURE GENTIUM UNIVERSE.

§ 1. PH. R. VITRIARIUS.

Omnium nostratium iuris gentium scriptorum GROTII systema quum maxime secutus esse dicatur PHILIPPUS REINHARDUS VITRIARIUS, non inutile erit ab hocce auctore hîc initium facere, quoniam simul sic egregia nobis dabitur opportunitas spectandi, quid GROTIUS ipse de iuris gentium principiis fontibusque statuerit ¹⁾. VITRIARIUS enim in *Institutionibus iuris naturae et gentium* secutus est, ut ipse in praefatione profiteretur ²⁾, „HUGONIS GROTII opus divinum *de iure belli ac pacis*, libros, capita, paragraphos, attamen non servili vel caeca quadam subiectione, verum ut liber in libera republica, qualis est haec nostra literarum.” Ubi eius opinionem veram putavit ipsa verba ubique retinuit, ubi ab illo dissentit in margine id notavit.

Verumtamen iam in ipso limine in diversas abeunt partes ³⁾. Quum enim GROTIUS, licet saepe revertere videatur ad veterem Romanorum Ictorum iuris gentium definitionem ⁴⁾, diserte ta-

¹⁾ Quum nobis hic sermo tantum est de fontibus et principiis iuris gentium ad sequentem sectionem reservabimus, quae iidem auctores de aliis huius disciplinae partibus conscripserunt.

²⁾ Usus sum editione, quae aucta a filio J. J. VITRIARIO prodiit L. B. 1734.

³⁾ Quod praetervidisse videntur v. OMPEDA op. l. § 118 et auctor *Bibl. iuris imp. quadr.* l. 4. § 6.

⁴⁾ Plures huiusmodi GROTII aberrationes collegit v. KALTENBORN, *Kritik des Völkerrechts.* p. 38 sqq.

men iuris gentium nomine indicat "ius quod inter populos plures aut populorum rectores intercedit" ¹⁾, sive ius, quod inter civitates aut omnes aut plerasque ex consensu nasci potuerit et natum apparet, quodque utilitatem respicit, non coetuum singulorum sed magnae illius universitatis" ²⁾, VITRIARIUS ius gentium sic definit ³⁾: "ius quod Deus per rectam rationem inter omnes gentes propter communem necessitatem et utilitatem constituit"; et, si adhuc putes eum tamen cum GROTIUS consentire, omne dubium statim tollitur, quum ipse verba sua sic explicat: "apud omnes gentes utile ac necesse esse ut matrimonium inter fratres et sorores sit prohibitum, ut constituantur in unaquaque civitate certi magistratus, ut dominia distinguantur, ut sit libertas transeundi per territorium alterius, commercia exercendi, legatos mittendi, foedera faciendi, ut certis ritibus et certo modo bellum geratur."

A iure naturae igitur, quod immutabile est et constitutum propter honestatem et turpitudinem ⁴⁾, ius gentium suum eo modo differre contendit, quod hoc sit constitutum propter necessitatem ac utilitatem, et statim igitur mutatur quando illa causa cessat: sic libertas transeundi per territorium alterius tollitur tempore belli, quum nobis non est utile ut hostis per territorium nostrum transeat. Ea ratiocinatione procedens varia, ut iam ex superioribus apparere potest, ad ius gentium refert, quae propter communem istam necessitatem et utilitatem inter omnes gentes exiguntur ⁵⁾. Sic (ut unum exemplum afferamus) ius sepulturae docet ⁶⁾ ortum esse ex iure naturae

¹⁾ *De I. B. et P.* Proleg. § 1.

²⁾ *Ibid.* § 17.

³⁾ *Instit.* I. 1. § 39—43.

⁴⁾ *Ibid.* § 42 et 27. De VITRIARII iuris naturae gentiumque notione dignus est qui conferatur ROTGERS in *Diss. qua demonstratur ius gentium non dari*. L. B. 1710. c. IV. § 10. — Si haec ad ea conferimus, quae modo diximus (p. 18) VITRIARII ius naturae est, quod nos doctrinam moralem vocamus, atque eius ius gentium, quod apud nos audit ius naturale.

⁵⁾ De altero eius criterio an aliquid sit iuris gentium, si nempe omnes gentes dicunt hoc ita esse, iure quaeri posset an serio illud contenderit.

⁶⁾ *Instit.* II. 19 § 3. Laudavimus illud exemplum, quia omnes fere,

quia huic conveniens est ut cadaveri humano humus porrigatur: at proteri ac laniari corpus humanum alienum merito videtur ab istius naturae dignitate: igitur ius gentium hoc inter omnes gentes, quae ratione sua recte utuntur, constituit ut cum homo ceteris animantibus praestet, cadaver eius in talem locum reponatur, ubi ab omni quasi iniuria liberum sit, et ne foetore ipsius aër inficiatur!"

Quid eo modo hac in re ius naturae et gentium inter se differunt, confiteor me non satis perspicere. Nisi fallor, ex nostra iuris gentium notione, sic de sepultura, si ad utrumque ius referenda sit, statuendum, quod, quia iuri naturali congruum est, ut omni corpori humano humus porrigatur, iure gentium etiam quisque populus ab aliis gentibus iure postulare potest, ut suis civibus, quum extra patriam quovis modo diem obeant, locus concedatur quo sepeliantur, eosque igitur contra utrumque ius agere, qui illud recusent ¹⁾).

Dicit fortasse aliquis: at GROTIUS etiam ius sepulturae refert ad ius gentium ²⁾). Et grata nobis est haec obiectio, quia idoneam nobis praebet opportunitatem ad ea, quae GROTIUS de iure gentium egit, accuratius cognoscenda.

Ille enim ius — pro lege acceptum — dividit in *naturale* et *voluntarium* ³⁾ hoc iterum in *humanum* et *divinum* ⁴⁾): *humanum* vocat civile, vel arctius patens, quod continet praecepta patria, dominica, similia: vel latius, quod est ius gentium, sive ius quod gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accepit ⁵⁾). Hoc autem nihil aliud est quam eorum iurium collectio, "quae, quamquam ex iure naturae ortum habeant, accipiunt tamen ex humana lege firmitatem quandam,

qui ius gentium negant a iure naturae diversum esse, provocant, ut suam sententiam probent, ad illud ius sepulturae.

¹⁾ Satis nota est quaestio tam diu agitata inter Hispaniam et Britanniam de Anglorum protestantium sepultura, quae illis in Hispania negabatur.

²⁾ *Do I. B. et P. II. 19. § 1. sqq.*

³⁾ *Ibid. I. 1. § 9.*

⁴⁾ *Ibid. § 13.*

⁵⁾ *Ibid. § 14.*

sicut sepultura, longo tempore possessa, successiones ab intestato, contractus, aliaque" 1).

Egregie illo iure gentium carere possumus; nam continet tantum ea, quae pro maiore parte ad ius naturale referenda sunt, in reliquis ad ius civile.

Ab illo tamen plane diversum est, quod idem GROTIUS antea, ut iam supra monuimus, eodem iuris gentium nomine definiverat: "ius nempe, quod inter plures populos intercedit sive ab ipsa natura profectum aut divinis constitutum legibus, sive moribus et pacto tacito introductum" 2). Mirandum certe quod tam multi 3), inter quos VITRIARIUS ipse, hocce discrimen apud GROTIUM praeterviderint, nam ea inter se toto coelo diversa esse etiam ex ipsis definitionum vocabulis apparet: in priore nempe non legitur *vim obligandi gentes inter se*: obligatio illa universe accipitur, spectat cuiusque civitatis membra, quatenus teneantur obsequi iis, quae in quaque civitate ex praeceptis naturalibus legis habent vigorem: in altera sermo est de iure, quod inter populos intercedit, quod igitur quamque gentem erga alias gentes obligat. Nunc quidem dicere liceat GROTIUM illud discrimen, quod in initio operis posuit, in sequentibus non satis observasse, et saepe confudisse quae

1) *Ibid.* II. 19. § 6. — Idem hoc est ac Romanorum Ictorum, commune ius, quo omnes homines utuntur, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, quodque apud omnes peraeque custoditur et ex quo omnes fere contractus introducti sunt." (§ 2 Inst. *de iure nat. gent. et civ.* et l. 9. ff. *de iustitia et iure*). Cf. BARBEYRAC ad PUFENDORF II, III. 23, et HEINECCIUS: *Recitationes in elem. iuris civilis sec. ord. inst.* (Gand. 1819.) § 41. Inprimis de Rom. iure gentium iuri civili opposito (eadem ratione ac GROTIUS I. 1. § 4) perspicue scripsit BILDERDIJK op l. p. 27. — An praeter hoc, quod recentiores scriptores vocant Romanorum ius gentium *primitivum* apud eos etiam valuerit ius gentium *secundarium* (ut dicunt iidem auctores: v. c. MERLIN l. l. et HEFFTER op l. in ipso initio) quod tamen melius diceretur ius belli ac pacis, non huius loci est exponere: sed certe dignissimi sunt, qui in hacce materie audiantur OSENBRÜGGEN *de iure belli ac pacis Romanorum* (Kiel 1836) et LAURENT, *Hist. du droit des gens chez les anciens* (Paris 1850 sqq.) Tom. III.

2) Proleg. § 1. 17, 40.

3) Ne von OMPEDA quidem (op. l. § 55 et 57), qui multa egregie de GROTII iuris gentium doctrina scripsit, hoc satis distinxisse videtur.

ad unum alterumve pertinerent, sed talia facile praetervideri possunt in eo, qui primus iuris gentium scientiam in disciplinae formam redegit: praeterquam quod nunquam praetervidendum est, eum in opere suo *de iure belli ac pacis*, non tantum egisse de iure gentium sed de toto iure publico.

VITRIARIUM priorem illam tantum Grotianam iuris gentium significationem sua definitione comprehendisse iam, nisi fallor, satis constat. Verumtamen in opere suo ordinem GROTII operis secutus, de multis egit egregie, quae in Grotiano systemate propter duplicem iuris gentium enunciationem, optime sese habent, ad suam vero definitionem referri vix possunt.

Si verbi causa examinamus quae scripsit *de his, qui in bello medii sunt* ¹⁾ eaque conferimus cum eius iuris gentium definitione: *ius, quod Deus per rectam rationem inter omnes gentes propter communem necessitatem et utilitatem constituit*: etiamsi concedi posset ius neutralitatis inter omnes gentes constitutum esse propter communem *utilitatem*, ut quum bellum inter duos pluresve populos oriatur, ceteris ius sit a bello abstinendi, ut ius commercia agendi aliaque omnibus utilia libere exerceri possint ab iis ad omnium utilitatem, verumtamen ad communem *necessitatem* nullo modo applicari potest, nam, ut et ipse auctor noster diserte confitetur: "neutralitas est sua natura libertatis et consilii, non necessitatis ²⁾." — Neque tamen concedendum, ius neutralitatis rationem inter gentes constituisse propter *communem* utilitatem: quod enim populus quidam in bello medius manere velit alteri belligerantium parti nocere, alteri prodesse facile potest, et ubi tunc erit illa omnium gentium communis utilitas?

Referantur igitur ad omnium gentium communem necessitatem et utilitatem sepultura, matrimonii restrictiones, contractuum observantia, sed ne cum his confundantur, quae, quamquam saepe ex ipso iure naturae derivata tamen pertinent ad ius, quod inter plerosque populos intercedit quodque praeter ea quae ad ius naturale pertinent, proficiscitur ex gentium moribus atque consensu ³⁾.

¹⁾ *Inst.* III. 10.

²⁾ *Inst.* III. 6.

³⁾ Inter VITRIARII inprimis discipulos priore parte saeculi superioris in-

Ceteroquin VITRIARIO laus competit, quod ea, quae apud GROTIUM saepe diffusa sunt et dispersa, in compendium accurate redegerit, imprimis quod GROTIUM explicare ex GROTIJ conatus sit; sed tamen non praetermiserit eius sententias conferre et confirmare auctoritate aliorum virorum doctorum; ita ut eius Institutionum, modo si distinguantur quae distinguenda sunt, etiam nunc, imprimis quod ad res bellicas attinet, utilissimus usus esse potest. * Merito Belgis sancta est tanti nominis gloria ¹⁾.”

gens ortum est certamen in dissertationibus inauguralibus de existentia iuris gentium: neque hoc mirandum, quum quod VITRIARIUS ipse ius gentium vocabat tantillum a iure naturae discrepet. Praecipuae hae sunt:

D. F. KAPPEINE, *An et quatenus ius gentium a iure naturae differat*. L. B. 1741.

G. BACKER, *De principiis iuris naturae, gentium et civilis*, L. B. 1714 (BACKER ipse se discipulum VITRIARII profitetur.)

ANT. ROTGERS, *Diss. qua demonstratur ius gentium non dari*, L. B. 1710 (de qua infra plura dicemus).

A. REPELAAR, *De iure naturali, gentium et civili*. L. B. 1728.

W. H. A. CATTENBURGH, *Diss. qua adstruitur dari ius gentium diversum a iure naturae*. L. B. 1751.

Ex eadem schola ius gentium positivum strenue defenderunt J. G. VAN GERSDORFF, *de legationum iure*. L. B. 1730: H. CORNETS DE GROOT, *de legato et legationum iure*. I. B. 1731, aliique. — Mirum in modum rem turbavit ELLAS DE VRIES in *Diss. de iure naturali ac gentium, seu duobus prioribus iuris fontibus*. Trai. ad Rhen. 1745. — Primum perstringit veteres, qui quatuor distinguebant iuris genera, nempe ius aliquod naturae homini et brutis commune, ius gentium primum seu ius naturae soli homini proprium, ius gentium secundarium, seu ius gentium proprie sic dictum et ius civile; docens illud primum idem esse ac ius naturae, ad secundarium omnes conventiones gentium inter se expressas vel tacitas pertinere (p. 18 et 19), sive hoc tantum spectare ius belli, publica inter gentes pacta, foedera ad servandam publicam tranquillitatem conformata (p. 32). Verum in sequenti pagina (33) idem haec scribit: »ad ius gentium pertinent omnes contractus reales et consensuales, omnia foedera, matrimonium, distinctiones inter liberos et servos, magistratus et subditos, omnes actiones ex pactis et contractibus oriundae.” Certe non sine causa auctor in epilogo lectores suos rogat ut suae »imbecillitatis” rationem habeant!

¹⁾ F. G. PESTEL, *Oratio de damnis ex negligentia iur. publ. in civit. redundantibus*. L. B. 1763. p. 9. Huius PESTELII pater FREDERICUS ULRI-

§ 2. ULRICUS HUBERUS.

Viginti annos ante PH. REIN. VITRIARIUM ius gentium iam attigerat ULRICUS HUBERUS in opere suo *de iure civitatis* ¹⁾: deinde vero, quae in hoc opere etiam de huius iuris disciplinae parte scripserat, posterioribus editionibus satis auxit. — Initium facit a iuris definitione divisionibusque: ius autem sensu legis acceptum dividit ²⁾ in *naturale* quod hominibus est innatum et *voluntarium* sive *positivum*, quod arbitramenti medio reperiuntur et excogitatum est. Ius *voluntarium* est *divinum* aut *humanum*: humanum iterum *gentium* vel *civile*, et utrumque hoc vel *publicum* vel *privatum*. — Ius gentium *publicum* est quod docet quid in regimine civitatum ex voluntate populorum fas et rectum sit: *privatum*, quod de rebus singulorum cum ratione introductum est ³⁾. Ad utrumque referri potest ius quod inter diversas civitates nec invicem nec uni subiectos imperio, intercedit: „nam civitates, earumque rectores iuris publici participes sunt; et verum est, diversas civitates earumque rectores hominesque nihilo secus omnes se habere quam singuli in statu naturali se habent ⁴⁾.”

Sed ad ius gentium publicum sine dubio pertinet id quod docet, quid in quaque civitate iuris inter ordines unius eademque rei publicae generaliter obtineat ⁵⁾: „ius vero civile publicum est quod ad statum cuiusque civitatis in specie pertinet ⁶⁾.” Ipsi consilium est exponere publicum ius gentium

cus, qui et ipse in Germania de iuris gentium disciplina bene meritus est VITRIARII discipulus fuit. Cf. *Bibl. iuris imper. quadr.* I. IV. 6.

¹⁾ Quum satis magna est textus huius operis in variis editionibus varietas scire interest me usum esse tertia editione, priore multo locupletiore, quae prodit Franequerae 1698 (non 1694 ut scribit G. DE WAL, *de cl. Fris. Ictis* p. 274.) Ceterum tacemus de iis, quae in aliis operibus de iure gentium disseruit, quum haec vulgo spectent Romanorum notionem, atque igitur ad nostram rem non multum faciunt.

²⁾ L. I. Sect. 1. cap. 1. § 7 sqq.

³⁾ *Ibid.* § 8.

⁴⁾ *Ibid.* § 9.

⁵⁾ *Ibid.* § 10.

⁶⁾ *Ibid.* § 11.

eiuslibet civitatis at unius Reipublicae terminis comprehensae ¹⁾. Praeter ius naturae quod est „quidquid ratio immediate dictat esse turpe aut honestum ²⁾” aliud „ius commune generis humani traditur quod non immediate ex rationis naturalis dictamine sed per modum arbitramenti, usu ita exigente et humanis necessitatibus inde deductum est: cuius generis sunt pleraque iura belli, imperia, dominia, servitutes, contractus, aliaque ³⁾.” Hoc ius definit fere ut GROTIUS ⁴⁾: „ius quod voluntate omnium, sane cultiorum gentium vim obligandi accepit.” Deinde variorum philosophorum et Ictorum Romanorum doctrinae de iure naturae et gentium mentionem facit inter quos HOBBSIUM nominat, qui nullum ius gentium a iure naturali civilique distinctum existere docet. „Equidem, sic deinceps pergit, non valde repugnem quominus contenti nobis esse liceat divisione iuris in naturale atque civile, cum ne Icti quidem ab hac sententia sint alieni: nec tamen satis causae arbitror esse quamobrem a vetere doctrina sit recedendum, in qua libenter acquiescimus ubi nulla se prodit evidens rerum novarum utilitas ⁵⁾.” Licet autem illa satis indifferenter sint dicta, refutat tamen praecipua argumenta eorum, qui ius gentium existere negent. Docet enim vim obligandi satis validam esse posse, e consensu populorum recte utentium analogia iuris naturae ⁶⁾, et sufficere paritatem ad iuris constitutionem, atque igitur qualitatem superioris ad hoc non requiri ⁷⁾. HUBERI auctoritas in illis adversariorum argumentis refutandis, non parvi momenti est ad *nostrum* ius gentium confirmandum.

¹⁾ *Ibid.* § 12.

²⁾ L. I. Sect. I. cap. 5. § 1, 2, 3, 4.

³⁾ Cf. *Ibid.* § 10 et 29.

⁴⁾ *De I. B. et P.* I. 1. § 14.

⁵⁾ *Ibid.* § 21 et 22.

⁶⁾ *Ibid.* § 23.

⁷⁾ *Ibid.* § 24. — Postquam superiora iam conscripseram inveni separatam quandam NUMERI disputationem *de Iure Gentium a iure Naturae diverso* in *Digr. Justin.* II. I. 9: quum autem in ea provocat ad locos ex libris *de Iure Civitatis* quos et nos attulimus nec ceteroquin novi quid profert non opus esse duxi quae conscripseram mutare illisve plura addere.

Quodsi hoc sit HUBERI de iure gentium systema, rogabit aliquis fortasse, quid tandem ille, si tam longe aliud quid ius gentium vocet, quam hodie hoc nomine intelligitur, in nostra disciplina praestiterit? Et tamen contendimus eum, pro virili parte, et operis eius ratione, multum praestitisse. Praeterea enim, quae ultimo loco attulimus, iam hac in re VITRIARIUM superat, quod agnoscit ius quoddam esse, quod inter diversas civitates nec invicem nec uni subiectas imperio intercedit, licet nesciat, quae sedes huic iuri danda sit ¹⁾. — Deinde in ultima sectione eius libri III *de iure civitatis*, exponit ius, quod civitati competit adversus externos: licet dicendum sit illud, quamquam titulo operis conveniat, tamen parum congruum esse auctoris proposito • exponendi illam iuris gentium publici partem, quae docet quid in quaque civitate iuris *inter ordines unius eiusdemque* reipublicae generaliter obtineat” ²⁾. In primo autem huius sectionis capite, sermo est de his, *quae exteri sibi invicem debent*, qua in re primum videndum quid iuris sit ubi nullum foedus, nullum factum aut pactum inter nos et alienegenas intercesserit; igitur quae gentes sibi invicem debeant ex mero iure naturae. Auctore autem nostro debent sibi invicem • *quae necessitas postulat*, modo alter iis carere possit: proinde si qua civitas fame laboret frumentum a vicinis petere potest. Ratio est quoniam proprietates rerum, quae initio humanae societati communes erant consensu generali est introducta, nec ulterius quam ille consensus ferat.” Vehementer negamus hoc verum esse: si enim hoc ad singulos homines applicamus, (et supra vidimus idem ius naturae gentibus esse ac singulis hominibus,) ad pestiferam eam doctrinam pervenimus, quae hodie communismi nomine gaudet, qua pauperi con-

¹⁾ Satis mirari non possum cons. TELS, qui in docta dissertatione *de meritis v. HUBERI in ius publicum universale*. (L. R. 1838) scripsit: »I. P. U. cum iure gentium amplius confundi non potest, quod docet ea quae voluntate omnium certe cultiorum gentium sunt introducta, et vim obligandi acceperunt.” Fugisse videtur auctorem, quo sensu eam definitionem ubivis iuri gentium det HUBERUS: fortasse sefellit eum verborum sonus: veri iuris gentium certe recta esse posset ista definitio, si HUBERUS scripsisset: *et vim obligandi civitates inter se*. Cf. supra p. 25.

²⁾ L. I. Sect. I. cap. I. § 10 et 12. L. III. Sect. IV, cap. I. § 1.

ceditur ius vivendi et sic omnis tranquillitas, omnis felicitas, imo omne ius praeter unum illud miserrimum ius vivendi in civitate penitus subvertitur. Neque hoc aliter se habet, quam ius illud ab aliis petendi, quod necessitas postulat, *gentibus* concedamus. Principium certe in utroque casu aequè pravum est, sed quid si eius applicationem inter gentes cogitemus? Cogita enim civitatem frumentum petentem a vicinis: quid si vicini negant? Si ius est petendi, petenti etiam ius est illud bello persequendi et quid tum? Bellum certe inopiam non minueret, sed, ut tristis experientia iam saepe docuit, quam maxime illam auget. Auctor noster etiam hisce aut similibus cogitationibus deterritus fuisse videtur, nam quum in prima editione operis dixisset „ex recusatione belli causa nascitur” in nostra tertia sic scribit: „an autem bellum negantibus inferre liceat, id vero a multis pendet singularibus” ¹⁾. Sed quale est ius inter gentes, quod bello persequi non licet ²⁾?

Attamen dicendum est auctorem nostrum scripsisse, frumentum tempore inopiae peti posse „pretio tamen iusto”; sed si vere hoc sibi voluerit, tunc ratio, quam dedit, nihil ad rem

¹⁾ *Ibid.* § 2. — Diximus de editionum HUBERI *de iure civitatis* differentia: praeter exemplum quod in textu attulimus, aliud insuper memorare liceat, ceteroquin etiam satis lepidum. — In prima huius operis editione hoc ipso capite haec legebantur: „Ex eadem causa si quis populus virorum sit, is matrimonii copiam, qua ex se frui nequit, iure petit a vicinis: ideoque Romani bello potius iusto quam raptu perfido contra Sabinos agere debuissent.” In tertia autem ultima haecce omittuntur, licet ius matrimonii copiam petendi a vicinis adhuc concedat. (Sub oculos habui praeter editionem supra memoratam eam quae prodiit cum notis LYNCKERI cura FISCHERI (Francof. 1752.) quaeque, auctore DE WAL de *cl. Fris. Ictis* p. 275, refert textum primae huius operis editionis.) Fortasse et de hoc loco valet, quod HUBERUS scripsit ad amicum quemdam anno 1693: „Primam editionem meorum *de iure civitatis* librorum non possum inspicere sine aliquo rubore.” Vid. DE WAL l. l. — Melius hac in re egit GORTIUS (*de I. B. et P. II. 2* § 21) qui „si virorum populus aliunde expulsus alio advenerit” viris istis „quia sine femina aetatem agere repugnat naturae plerorumque hominum” libertatem concedit matrimonia ambiendi et contrahendi apud vicinas gentes!

²⁾ „Gerechtigheid moet gehandhaafd worden, zelfs ten koste van den vrede.” GROEN. v. PR., *Beschouwingen over Staats- en Volkenregt.* p. 14.

facit; in aliis autem eiusdem necessitatis exemplis, quae affert, de pretio nullus sermo est ¹⁾. Sic igitur statuendum videtur, vocabula „pretio tamen iusto” transcripta esse ex GROTIUS ²⁾, ubi tamen alio plane modo totum hoc argumentum tractatur. Libenter autem concedimus exteros sibi invicem debere, quae necessitas postulat: modo hoc ita intelligatur ut ei, qui copiam habet, incumbat officium alteri aliquid suppeditandi, non ut huic sit *ius* ab illo aliquid petendi. — Insuper, duce auctore nostro, exteri sibi invicem tenentur ad ea, *quae sunt immortaliae utilitatis*, (aquam et ignem, transitum per territorium, commorationem, cet.), aut, *quae requiruntur ad propulsandum evidens periculum*. Quae autem hisce addit de iure observandi leges aliarum civitatum in aliis imperiis, quum privatos spectant, non totas gentes, iam supra ³⁾ aliena esse diximus a nostro argumento.

Exposito ita iure, quod ex sola humani generis cognatione mutuaque utilitate intercedit, in secundo transit capite ad ius legationum, et docet legatos iure gentium eximio iure esse praeditos, quia summopere populorum interest commercia amicitiaeque officia propagari et bella anteverti. Luculenter inde profecto patet, ius naturae ex eius opinione non sufficere inter diversas gentes: imo videtur iuris gentium nomine ⁴⁾ intelligere ius, quod tantum provenit ex populorum usu et pactis. Deinde agit de iure foederum et de iure belli: quid autem de tribus his praestiterit infra suis locis videbimus. — Iam nunc vero satis apparere ducimus, eum non iniuria adnumerari iis, qui de iure gentium bene meruerunt.

§ 3. IOHANNES BARBEYRAC.

Transeamus ad IOHANNES BARBEYRAC, qui, ut scripsit WHEATON ⁵⁾, versionibus GROTIUS, PUFENDORFII et BIJNKERSHOEKII,

¹⁾ Quod enim esset pretium iustum mulierum in exemplo allato?

²⁾ *De I. B. et P.* II. 2. § 19.

³⁾ Vid. praefat.

⁴⁾ Cf. etiam c. 4. § 3 et 4.

⁵⁾ *Histoire des Progrès du Droit des Gens* I. p. 251. Cf. VOLTAIRE, *Siècle de Louis XIV* article *Barbeyrac* et WEISS, *Histoire des Réfugiés Protestants de France*. (Paris 1853), II. p. 98.

iuris gentium scientiam popularem reddidit non minus, quam doctis suis annotationibus ad hosce auctores. Verum dolendum est, quod vir tanti ingenii non melius perspexerit veram iuris gentium disciplinae indolem et significationem. Versatur enim totus fere in hoc argumento, ut demonstret nullum esse ius gentium positivum a iure naturali distinctum, ut doceat omnes gentium usus, omniaque pacta aut recta linea ex ipso iure naturae provenire, aut nullam prorsus vim obligandi habere. Inspiciamus modo annotationes eius ¹⁾ ad illustrem locum PUFENDORFII in L. II. c. III. § 23. huius *iuris naturae et gentium*; PUFENDORFIUS ibi scripserat, se plane assentiri HOBBSIO dicenti nullum ius gentium esse positivum, ut vulgo dicebatur; ius gentium nihil prorsus aliud esse, quam ius naturae totis gentibus applicatum; inprimis hanc ob causam illud ius gentium positivum existere non posse, quia inter gentes nullus legislator esset nisi ipsa natura, atque nihil, quod non a superiore quodam legislatore latum sit, legis habere posse vigorem. Quid autem ad haec noster BARBEYRAC? «Au reste, depuis que M^r. DE PUFENDORF a rejeté le droit des gens dans le sens, qu'on l'entendait, il a été suivi en cela, et l'est encore aujourd'hui, par tous ceux, qui ont étudié ces matières avec quelque soin et sans préjugé²⁾.³⁾ Quam opinionem satis mirari non possumus, quum BARBEYRAC, si sibi constare voluisset, etiam dicere debuisset BYNKERSHOEKIUM (quem tamen tanti fecit, ut etiam huius opus gallice reddiderit eique copiosam praefationem praefixerit) aut negligenter hanc materiam investigasse aut gravi quodam praecudicio laborasse: multum enim abest ut vir celeberrimus (quod postea videbimus) PUFENDORFII opinionem amplectatur ³⁾.

¹⁾ Ad annotationes suas ad h. l. ipse ubique fere relegat lectores, quum agitur de iuris gentium significatione.

²⁾ p. 239 (in fine) editionis huius PUFENDORFII operis, quae prodit L. B. apud *Wetstein*. 1750.

³⁾ Nec tamen BARBEYRAC praetervidit BYNKERSHOEKIUM aliter de iure gentium sentire. cf. *Préface au Traité du juge compétent des Ambassadeurs*. (la Haye 1723.) p. XXX: »Toute la différence avec l'auteur roule sur une différente manière de concevoir le droit des gens.»

BARBEYRAC autem l. l. annotat, si ius aliquod inter gentes valeret praeter ius naturae, necesse fore ut omnes, aut certe plerique populi, sive expresse sive tacite consensissent: *expresse* vero id numquam factum esse neque umquam factum iri, ac si fortasse fieri posset tunc illud pactum fore ad cuius observationem cogerentur ipsis praeceptis naturalibus: *tacitum* autem consensum ac consuetudinem nullam obligationem efficere posse: nam si hic vel illic consuetudo legis vigorem obtinuerit inter cives unius eiusdemque reipublicae, hoc tantum esse contendit ex voluntate huius civitatis legislatoris supremi, qualis inter gentes nullus est. Quod ad primum attinet, libenter confitemur de expresse consensu inter plerasque gentes vix sermonem esse posse: nec minus pactorum observationem praecipere ius naturale: sed quid tamen vetaret iura illa, quae ex pactis inter populos valent (nam negari non potest multis foederibus inter diversas gentes de iisdem rebus, quae per se ex iure naturali deduci nequeunt, idem esse constitutum), uno nomine vocare ius gentium? Ad ultimum argumentum refellendum iam afferri possent ea, quae modo ex ULRICO HUBERO laudavimus ¹⁾: paritatem sufficere ad iuris constitutionem neque superioris qualitatem ad illud requiri, (aliter etiam nullum ius validum esse posset in regimine democratico) et tacitum populorum consensum satis validam vim obligandi habere. Sed potius ipsius BARBEYRACI ratiocinationibus utamur. In iis enim quae in sequentibus leguntur, concedit esse multas consuetudines inter plerasque gentes quibus obsequi tenentur ob causas politicas, humanitatis aut prudentiae, eosque qui in mutuis rationibus consuetudinem quandam usumque observaverint, moraliter obstringi etiam ad futuram observationem, donec contrarium expresse statuunt; modo talem fuisse consuetudinem recte demonstratur ²⁾. Haec autem eadem sunt, ac quae ab alia parte

¹⁾ Vid. p. 29.

²⁾ » Il est certain aussi, que du moment qu'un certain usage s'est introduit de quelque manière que ce soit entre des nations, qui ont souvent à faire les unes avec les autres chacune d'entre elles est et peut être raisonnablement censée avoir suivi la coutume si elle n'a pas expressément déclaré qu'elle ne voulait pas s'y conformer dans l'affaire dont il s'agit.

afferuntur, nam nemo urgebit usum consuetudinemve ab omni parte *aeque* perfectum ius creare ac naturae doctrinaeque moralis praecepta. Haec enim aeterna sunt ac immutabilia, illa quae ex hominum ingeniis originem petunt iam sua natura perfecta esse nequeunt. Insuper ipse assentitur ¹⁾ esse nonnulla principia, quae, quamquam ex iustitia et aequitate deveniant, tamen ita difficile inde deduci possint et certis casibus applicari, ut vix aliunde cognoscantur, quam ex veteribus pactis et variis exemplis; imo multa iura, privilegia aliaque eiusdem generis ex *solis* pactis foederibusque esse cognoscenda. Et tamen ubique clamat nullum esse ius gentium nisi naturale! ²⁾

§ 4. HEINECCIUS.

Alio modo de iure gentium egit IOH. THEOPHILUS HEINECCIUS, licet ad eundem se devenire finem contendat ac BARBEYRAC et alii. Ius naturae vocat ius quo singulorum actiones reguntur ³⁾: ius gentium autem ius, quod quid *in* societatibus et *inter* eas iustum iniustumve sit praecipit: eadem vero sunt iuris utriusque praecepta, eadem leges, quin immo ius gentium est ius naturale vitae hominis sociali negotiisque societatum atque integrarum gentium applicatum ⁴⁾. Ex hisce iam apparet HEINECCIUM sibi sumere ius quoddam, cuius ius gentium tantum

Et c'est là tout l'effet, assez grand néanmoins, que peuvent avoir les choses qu'on rapporte au droit des gens. La question est alors de bien prouver la coutume." BARBEYRAC l. l. Idem fere legere est in *Praef. ad Grotium*. p. XXXI. (Ed. 1724).

¹⁾ Initio praef. ad eius *Histoire des anciens Traités*.

²⁾ Aliud egregium huius BARBEYRACI inconstantia est in loco quem etiam affert de VATTTEL in praef. operis *le droit des gens*, p. XVIII et XIX (ed. Amst. 1775); modo addamus, quae hic praetervidisse videtur et propter quam omissionem ea, quae de nostro auctore ibi locutus est, non ab omni parte vera sunt. Sic enim scripsit BARBEYRAC ad GROT. I. § 14: «le droit des gens positif et distinct du droit naturel est une chimère. J'avoue qu'il y a des lois communes à tous les peuples," cet.

³⁾ *Elem. iuris nat. et gent.* I. 1. § 21. cf. § 12. (in HEINECCI *Opp. omn.* Gen. 1771. Tom. I.)

⁴⁾ Cf. HEINECC. *Recitationes* (op. l.) § 41.

pars habetur (nam in eo argumento sermo illi non tantum est de integris gentibus, sed etiam de aliis societatibus ¹⁾) illudque ius etiam complecti ea, quae *inter* societates, in mutuis societatum rationibus, iuris sunt. Itaque non mirandum, quod in altera parte eius *elementorum iuris naturalis et gentium*, tractet officia observanda in societate coniugali, parentum et liberorum, herili, familiae, civili denique; unde transit ad iura maiestatis et officia civum. Omnia haec autem facile praetermittere possumus, quoniam nihil faciunt ad nostrum argumentum: neque, si nihil aliud praestitisset, eum huc retulissemus. Copiosius tamen agendum erit de eius *Praelectionibus in HUGONIS GROTII libros de iure belli ac pacis* ²⁾, quibus id sibi voluisse videtur, (quod ab editore in praefatione recte monitum est) ut, quae GROTIUS late disseruerit, vel in breves quasitheses contraheret vel eius argumentandi vim ostenderet: liceat modo addere eum plerumque in argumentorum vi illustranda, satis longum fuisse: *Praelectiones* enim fere aequae voluminosae sunt ac totum GROTII opus ³⁾. Iam ab initio statuit principium etiam Grotiani iuris naturae et gentium esse *socialitatem*, cuius fundamentum est quod socialiter vivere congruat naturae humanae, qua in re differt a PUFENDORFIO, qui contendit socialiter esse vivendum, quia id iusserit Deus. Sicut ex humana societate omnia iura hominum adversus homines fluunt, ita ex eodem statu omnes derivandae regulae, quae gentes obligant ⁴⁾: gens sine gente subsistere non potest: opus est commerciis, opus est gentium auxilio adversus aggressores, opus est foederibus, legationibus; quae omnia non essent nisi communi aliquo iure continerentur. Ergo est ius gentium omnibus commune adeoque datur ius aliquod naturale: nam ius gentium proprie nihil aliud est quam ius naturae negotiis gentium applicatum ⁵⁾.

¹⁾ VON OMPEDA. op. l. § 118.

²⁾ *Opp. omn.* Tom. IX. p. 1 sqq.

³⁾ Quod ei tamen commune est cum plerisque GROTII commentatoribus. Egregie dixit auctor *Bibl. iuris imp. quadr.* I. II. § 7: »GROTII commentatorum turba confundunt magis quam iuvant discendi cupidos, quare paucos aut nullos ex iis adhibendos censeo.»

⁴⁾ *Ibid.* p. 9.

⁵⁾ *Ibid.* p. 15.

Atque in hoc socialitatis principio acquiescere debuisset GROTIUS. Improbandum est quod ius gentium (quod dicit esse ius a multis gentibus receptum) e testimoniis veterum accesserit. Quod enim apud multas gentes receptum est, pertinet ad mores gentium ¹⁾; quod naturalis ratio inter omnes peraeque gentes constituit est ius gentium ²⁾. Ad locum GROTII ³⁾ de iure gentium latius patenti, quam ius civile, HEINECCIUS annotat false id vocari *voluntarium*: „a Deo enim non est, quia non omnibus est commune: neque ab hominibus, quia, praeterquam quod singulae gentes illud possunt abrogare, nemo hominum potuit gentibus leges praescribere.” Ut itaque GROTII error pateat, auctor noster observandum esse docet ius gentium variis modis accipi. 1°. Pro attributo diversarum gentium, seu facultate morali per quam gentes aliquid licite agunt, et tunc ius gentium ex ipso iure naturae est, e. g. ius bella gerendi, legatos mittendi, cet. 2°. Pro moribus plurium gentium, e. g. quod olim omnes captivi in servitutem detrudebantur solemniter. Hoc ius plane arbitrarium est et a singulis abrogatur gentibus, immo vix ius dici potest. 3°. Pro iure civili a multis gentibus recepto uti Romanum ius hodie ubique viget. 4°. Pro iure quodam omnes gentes obliganti necessario et perpetuo: „Hinc, inquit, quum GROTIUS dicat hoc ius esse voluntarium nobis est naturale: quum GROTIUS illud dicat multis gentibus commune, nobis illud omnibus commune est: quum GROTIUS sit ius humanum, nobis illud divinum est” ⁴⁾.

Multa adhuc addere possemus quae HEINECCIUS ⁵⁾ de natura et fontibus iuris gentium in reliquis huius operis partibus disputavit; verum, quum ad idem fere redeant optime his carere possumus: ex iis, quae expromissimus satis iam superque apparet, quae eius de hoc argumento fuerit sententia. Ac primum quidem si inter se comparamus duas definitiones, quas dedit

1) » Si ius gentium est, quod apud multas gentes receptum, ita et iuris gentium erit, quod pileum detrahimus saliantes.” p. 48.

2) *Ibid.* p. 25.

3) *De iure B. et P. I.* 1. § 14.

4) HEINECC. l. l. p. 48.

5) *Ibid.* p. 49.

vocabuli *ius gentium*, planum erit mirificum in modum eum de hac materia egisse. Quum enim *ius gentium* dicit in *Elementis* et in *Recitationibus* II. II. „esse *ius naturale vitae hominis socialis negotiisque societatum atque integrarum gentium applicatum*, sive *ius*, quod in societatibus et inter eas iustum iniustumve sit, praecipit,” in *Praelectionibus* I. I. contendit „*ius gentium nihil esse quam ius naturae negotiis gentium applicatum*,” quibus negotiis gentium certe nihil aliud indicat nisi negotia *inter gentes*: mittit igitur (et recte profecto), quae antea scripserat de iure gentium etiam amplectenti vitam cuiusvis hominis socialem et praecipienti quid iustum iniustumve sit in societatibus sive civili, sive coniugali, sive aliis eiusmodi. Deinde animadvertendum est ex enumeratione eorum, quibus gentes inter se carere non possunt, commerciis, foederibus, cet. eum conficere, esse *ius omnibus populis commune*, quod secundum eum est *ius gentium*, sive, quod idem est, *ius naturale gentibus applicatum*. Iam vero illud *ius naturale* non sufficere in commerciis gentium (quodsi ita sese habet in commerciis idem, valeat necesse est in legationibus, auxilii tempore belli praestationibus, cet.) ipse auctor noster luculentissime docuit in eius *Exercitatione de navibus ob vecturam vetitarum mercium commissis* ¹⁾ Agit ibi v. c. de contrabandis: „*ius naturae*, inquit nihil hac de re statuit: neque *ius Romanum* neque *ius canonicum* controversias inter gentes sopiendi est fundamentum. — Quid igitur restat? Ad hostes quas merces deferre nefas habeatur *pluribus inter gentes conventionibus est explanatum* ²⁾.” Itaque iam habemus confitentem (et plura in eodem opusculo eiusmodi ipse affert exempla), esse inter gentes aliquod *ius*, quod habet fundamentum suum in gentium conventionibus, quarum plurimas laudat. Quae si nondum sufficiunt haec addi possunt: „*Hae sunt merces*, quas in commercio esse tum leges publicae tum mores ac consuetudines gentium prohibent ³⁾.” Nolens volens igitur HEINECCIUS docet, quod iam saepius diximus omnino esse statuendum, praeter illud *ius gentium* quod

¹⁾ *Opp. omn.* Tom. II. p. 310–366.

²⁾ *Exercit. laud.* I. § 14.

³⁾ *Ibid.* § 16.

recte aequiparatur iuri naturae totis gentibus applicato, aliud esse, quod inter gentes vim obligandi habet, quodque derivatur ex pactis, moribus et consuetudine.

Obiter admonere liceat, eum GROTIIUM de iure gentium voluntario scribentem, omnino non intellexisse, ut satis apparet ex iis quae de hac materia supra attulimus 1).

§ 5. C. VAN BYNKERSHOEK.

Iam accedendum est ad CORNELIUM VAN BYNKERSHOEK, Ictum egregium, virum „ingenii rara felicitate, summa eruditione praeditum,” cuius „consummata iurisprudencia” ingens ei peperit nomen longe etiam extra patriae fines 2) qui „in iure civili explicando a pervulgatis interpretum opinionibus recedere non dubitavit, qui propriis viribus nitens libere, modeste tamen semper pronunciavit, quid sibi videretur, qui eundem se praestitit in edolandis illustrioribus iuris publici ac gentium capitibus. Sive enim examini submittas opuscula, quae *de maris dominio*, quae *de legatorum foro* conscripsit, sive alias *quaestiones iuris publici* excutere gestias, eandem animadvertes BYNKERSHOEKII rationem, eruditionem minime vulgarem, idem pectus apertum, candidum, populi non captans suffragia, verum unice veritatis amore flagrans, unice iustitiae, aequitatis, humanitatis commodis inserviens 3).”

1) Vid. supra p. 24 sq.

2) Imprimis animadvertendum quanti eum faciant nostro saeculo Angli Americanique scriptores WHEATON, PHILLIMORE, WILDMAN (*Institutes of international Law*. Lond. 1849. 2 vol.), STORY (*The Conflict of Laws*), aliique. Nec multo minus tamen eius nomen Germanis et Gallicis in ore est: inspiciantur modo VON KALTENBORN, KLÜBER, VON GAGERN (*Kritik des Völkerrechts*. Leipzig 1840.) HEFFTER, OPPENHEIM (*System des Völkerrechts*. Frankf. 1845.), DE Vattel (*le droit des Gens*), MAUTEFUILLE (*Des droits et des devoirs des nations neutres en temps de guerre maritime*. Paris 1848, 4 vol.) cet..

3) I. H. PHILIPSE, *Oratio de Bynkershoekio Icto egregio*. (Franq. 1822.) p. 6 et 22. Fecit PHILIPSE v. cl. hac oratione, quod facere in animo habuerat H. C. CRAS. — Vid. huius oratio *de dicto Ciceronis » non opinione sed natura constitutum esse ius.*” p. 7. cf. et p. 22.

BYNKERSHOEKIUS primus fuit non solum nostratum, sed etiam exterorum auctorum, qui discrete et luculentissime docuit, ius naturale non sufficere ad gentium inter se rationes regendas: sive, ut egregie scripsit DE VATTEL¹⁾, ius naturale non ubique idem praescribere integris gentibus ac singulis hominibus. Licet nullum ediderit iuris gentium systema sic ut multi ante eum — utrum hoc non fecerit quia principia sua methodumve non satis confirmata putaret²⁾, an aliam ob causam, non multum curamus — satis superque ex eius operibus patet quid de haec disciplina secum stauerit, ex quibus fontibus sibi persuasum habuerit ius gentium esse hauriendum³⁾. Iam in dissertatione *de dominio maris* enunciat ius gentium distinguendum oportere a iure naturae⁴⁾, „rationem ibi familiam ducere populorumque consensum huic esse adhibendum⁵⁾,” sed multo magis perspicua sunt quae hac de re exprimit in sequentibus scriptis „Non erraverit, inquit in opusculo auro contra caro *de foro legatorum*⁶⁾, qui veteres iuris auctores secutus⁷⁾ ius gentium id esse dixerit, quod ratione praeunte inter gentes servatur si non inter omnes, inter plerasque certe et morationes; duo igitur eius quasi fulcra sunt, ratio et usus⁸⁾.” „Quidquid autem de iure gentium disputatur, eo semper causa recidit ut, quod ratio dictavit gentibus quodque illae, rerum saepe factarum collatione inter se, observant, unicum ius sit eorum, qui alio iure non reguntur. Si omnes homines homines sunt,

1) Op. l. (Amst. 1775) *Preliminaires* § 6: cf. etiam WHEATON, *Elements* l. p. 47.

2) VON KALTENBORN, *Kritik*. p. 98.

3) Cf. WHEATON, *Histoire du Droit des Gens*. I. 244—250.

4) *Opp. Min.* (L. B. 1730) p. 359.

5) *Ibid.* p. 405.

6) *Ibid.* p. 431 sqq.

7) Mirandum certe quod ne BYNKERSHOEKIUS quidem perpexerit, quid intersit inter definitionem: *ius quod apud gentes* et *ius quod inter gentes servatur*. (Cf. *Q. I. Publici* I. 8).

8) *Ibid.* p. 442 (cap. III.) Exempla, quae auctor h. l. ex SENECA affert monente BARBEYRAC (vid. huius annot. ad h. l.) ipse postea confessus est non referri posse ad ius naturae et gentium nisi translatione quadam. Verumtamen missis etiam exemplis, res ipsa manet verissima.

i. e. ratione utantur, haud fieri potest aliter quin ratio iis quaedam suadeat et imperet, quae mutuo quasi consensu servanda sunt, quae deinde in usum conversa gentes inter se obligant, et sine quo iure nec bellum, nec pax, nec foedera, nec legationes, nec commercia intelliguntur ¹⁾." "Illam perpetuo usu inter diversos sui iuris populos observatam consuetudinem solida et mascula ratio iis persuasit, nos ius gentium appellamus ²⁾." "In controversia, quae de iure gentium est, sequamur consuetudinem gentium nec soli sapiamus ex nostro ingenio. Scio sola ratione aliud et aliud de foro legatorum placere posse, at scio eam rationem vincere, quam usus gentium probavit ³⁾." "Ius gentium nihil est quam praesumptio secundum consuetudinem, nec quidquam valet praesumptio ubi expressa est voluntas eius de quo agitur ⁴⁾." Eadem sexcenties fere repetit in *Quaestionibus iuris publici*. Rationem ibi vocat iuris gentium magistram et animam ⁵⁾; de ratione non de utilitate hic omnem disputationem esse docet ⁶⁾: verumtamen et usum adhibendum esse, qui intelligitur ex perpetua quodammodo paciscendi ediscendique consuetudine: unum enim forte alterumve pactum, quod a consuetudine recedit ius gentium non mutat ⁷⁾: "ratio autem et usus in omni iuris gentium parte utramque faciunt paginam ⁸⁾. Ius gentium oritur ex pactis tacitis et praesumptis, quae ratio et usus inducunt ⁹⁾."

¹⁾ Ibid. p. 442. — » Ex hoc iure gentium introducta bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distructa, agris termini positi." l. 5. ff. de iustitia et iure. Verum hic, ut saepissime apud Ictos Rom. *ius gentium* idem est ac *ius naturale*, quod discrete patet quum HERMOGENIANUS h. l. adiecit, ex eodem iure etiam derivari emtiones, venditiones, obligationes, cet. — Cf. OROT. II: 8 § 26.

²⁾ Ibid. 428. (In operis dedicatione).

³⁾ Ibid. p. 430. (Praef.) cf. cap. III. p. 430, 443; cap. VII. p. 470; cap. VI. p. 462.

⁴⁾ Ibid. c. XIX. p. 450. cf. V. p. 455.

⁵⁾ Q. I. Publici. I: 1 et 2.

⁶⁾ I. 9.

⁷⁾ I: 10. p. 77.

⁸⁾ II: 5.

⁹⁾ II: 10.

Ex his certe iam satis superque perspicuum est quos BYNKERSHOEKIUS iuris gentium fontes esse ducat: eumque ratione intelligere applicationem principiorum iustitiae, aequitatis, humanitatis, ut uno verbo dicamus, principia iuris naturalis ¹⁾. — Ea autem iam egregie putat scripto expressa esse in iure Romano ²⁾, et inde explicandum quod tam saepe affert Ictorum Romanorum auctoritatem: „in iis, inquit, quae sola ratio commendat, a iure Romano ad ius gentium tuta est collectio ³⁾.” Et „qui ius Romanum audit vocem fere omnium gentium videtur audire”, cui tamen mox subiungit: „ius Romanum non continuo efficit ius gentium: si aliter quam illi sapiunt aliae gentes earumque consensus praevaluit, id est ius gentium” ⁴⁾. — Magnam igitur vim usui tribuit, sed ita, ut, si populorum usus in aquas fere abeat partes, rationis esse ducat, decernere quid iuris sit ⁵⁾: contra vero si ex sola ratione disputari potest in utramque partem, quaerendum esse docet quam rationem usus provaberit, quia inde ius gentium est ⁶⁾. Ne tamen putes quum usus pugnat cum recta ratione, tum BYNKERSHOEKIUM etiam contendere ius gentium ex usu esse decernendum. „Quum eiusmodi casus se offert tunc valet regula: de ipsa ratione magis quam de pactis laborandum est” ⁷⁾ —

1) Cf. G. DE WAL, *Prijsverhandeling over het bestaan, den aard, de waarde en de behandeling van het natuurregt.* Amst. 1833. p. 6. »Het natuurregt bevat de regten uit de rede gesproten en door de rede gekend.”

2) Cf. PHILLIMORE, op. laud. I. p. 31.

3) *Q. I. Publici*. I: 14. p. 105.

4) *De foro legatorum*. c. VI.

5) *Ibid.* c. III. et c. XVII. — Cf. *de dom. maris*. c. VIII et IX.

6) *Ibid.* c. VII. Sic. v. c. saepe disputatum est de quaestione an id quod legatus cum alia gente contraxerit indigeat insuper, ut vim obligandi habeat, ratihibitione principis? In utramque partem discedunt interpretes; postquam autem gentium mores probaverant (et hac in re a veterum moribus differunt) mandatis generalibus legatis nil praeberi quam potestatem agendi atque inde ratihibitionum usus invaluit, etiam nunc est iuris gentium (» cuius praecipua pars moribus censetur”) ne foedera et pacta a legatis inita valeant, nisi comprobaverint principes quorum res agitur. Vid. *Q. I. Publici* II. 7.

7) *Q. I. Publici* I. 14. p. 107. cf. *de foro legatorum*. cap. VI. p. 459.

Sicut enim in iure civili vel criminali prava iuris prudentia ipsam iuris rationem mutare nequit, quamvis nonnumquam saltem, donec melius de eadem quaestione iudicetur, istae iurisprudentiae obedientiam praestare debeamus, sic et gentium usus, quum ipsis iuris principiis contrarium est, ipsum gentium ius mutare nullo modo potest ¹⁾.

Quum igitur BYNKERSHOEKIUS in iuris gentium fontibus tanti facit gentium usum et mores, operae pretium est indagare unde usus ille, ex eius opinione, cognoscendus sit. Nec ista indagatio difficilis est. Patet enim unicuique et ex locis iam a nobis allatis et ex mera eius operum inspectione, eum firmiter tenere populorum in unum consensum esse aut expressum pactis foederibusque aut tacita consuetudine moribusque confirmatum ²⁾. Pacta autem in unoquoque argumento innumera saepe affert ad suam opinionem rectamque rationem firmamdam, nec pactis assimilare haesitat curiarum arrepta decisionesque. Ad tacitam consensionem probandam requirit testimonia auctorum sicut GROTII, HUBERI, WICQUEFORTII aliorumque, aut exempla, quorum tamen non unum alterumve sufficit, quia opus est perpetua exemplorum textura ³⁾. — Ex specialibus enim pactis nihil certi deducere licet, quia eorum ratio nos saepe latet ⁴⁾; usus intelligitur ex perpetua paciscendi edicendique consuetudine: et unum forte alterumve pactum, quod ab ea recedit, ius gentium non mutat ⁵⁾. — Atque ita suis ipsius praeceptis auctor noster obsequitur ut ingentem exemplorum copiam, quam in quacunque re ad manum habet ac profert profecto admirari liceat ⁶⁾. Et quum ea inprimis petivit ex historia politica patriae nostrae, operibus suis monumentum simul posuit nos-

¹⁾ »Sic enim nemo negabit iuris gentium esse legatos non violari, et tamen saepe legati violati sunt." *De foro leg.* c. XVIII. »Sic solent edicta ex aliis transcribi et ubi semel error contra ius gentium irrepit, continuo repetitur." *Q. I. P. I.* 21, p. 156.

²⁾ *De foro leg.* V. in fine: »Ex gentium consensu cum expresso tum tacito." cet.

³⁾ *De foro legat.* VIII.

⁴⁾ *Q. I. Publ.* I: 15, p. 114.

⁵⁾ *Ibid.* I. 10, p. 77.

⁶⁾ Cf. VON KALTENBORN, *Kritik d. V.* p. 100.

tratum summae in hacce disciplina doctrinae et indefessi laboris, nec minus auctoritatis, quam et exteri horum decretis attribuebant. — Si quid in eo reprehendendum duceremus hoc fortasse esset, quod non semper satis prudentem se praes-titerit in iuris Romani praeceptis applicandis ad universum ius gentium, quodque nonnumquam nimis acriter invexerit in Curiarum arresta, ita ut non ubique ei omne partium studium defuisse videatur ¹⁾). In sequentibus, ubi agemus de iure belli, de iure maritimo et de legatis, eius opera fundamenta erunt quibus ceterorum doctrinam et eruditionem tuto inaedificare possimus ²⁾). —

§ 6. I. H. ENTRUP ET A. ROTGERS.

Utinam postea saltem omnes, qui iuris gentium disciplinam attigerunt eadem sana ratione hoc fecissent, qua BYNKERSHOEKIUS noster. — Verum aliter factum esse, imo in ipsa illius patria, testatur dissertationum copia, de qua supra verbo diximus, inprimis tamen duo specimina Academica, quae,

¹⁾ Cf. HAUTEFEUILLE op. l. Tom. I. p. 114—116 (Discours Préliminaire.)

²⁾ Haec dum typis mandantur incido in opusculum nuperrime editum, *Two introductory lectures on the science of international Law* by TRAVERS TWISS D. C. L. *Regius Prof. of civil Law in the university of Oxford and Advocate in Doctors Commons.* (Lond. 1856); ubi inter multa alia praeclare licet breviter exposita de iuris gentium scriptoribus pulcherrimum hocce testimonium de BYNKERSHOEKIO nostro invenitur: »VAN BYNKERSHOEK has immortalised himself by his treatise *de foro legatorum*, in which he vindicates the rights of embassy from the narrow view which PUFENDORF had taken of them, and by his *Quaestiones Iuris Publici in rebus bellicis*. Every thing which came from this great man bears the stamp of original thought and indicates a vehement and independent mind. He often expresses himself with boldness and vehemence and sometimes with an apparent contempt for the opinion of others; but his learning, sagacity and sound judgment rarely if ever desert him and his authority is as great in the courts of maritime and international law as in the schools of Jurisprudence. He established for himself an European reputation, which has been maintained in all its freshness to the present day.” (p. 37).

quamquam magnam non nacta sunt famam, accuratius tamen nobis inspicienda videntur, quum illis disertius quam usquam fere alibi in nostratium scriptis exponatur idem, quod PUFENDORFIUS eiusque discipuli apud exteros docuerint, nullum esse ius gentium nisi id quod ex praeceptis naturalibus derivetur. — Anno 1765 Groningae prodit « *Specimen iuris gentium inaugurale quo praecipua civitatis gentium maximae atque iuris earundem voluntarii seu positivi inde derivandi fundamenta destruntur* » auctore IOHANNE HENRICO ENTRUP¹⁾ Quicumque in iuris gentium historia non plane hospes est, iam ex titulo intelliget actorem sibi proposuisse refellere systema WOLFFII philosophi Germanici²⁾. — Hic enim postquam ingens opus scripserat de *iure naturae*³⁾ anno 1649 edidit *ius gentium methodo scientifica pertractatum in quo ius gentium naturale ab eo, quod voluntarii, pactitii et consuetudinarii est, accurate distinguitur*⁴⁾ et eodem anno utriusque operis compendium cui titulus *institutiones iuris naturae et gentium*. — In hisce operibus WOLFFIUS agnoscit « dari ius gentium ab ipsa natura constitutum, quod nihil aliud sit, quam ius naturae ad gentes applicatum, quod ius gentium originarium et necessarium vocat; sed tamen insuper dari contendit ius gentium positivum, quod (ut iam titulus secundi operis docet) voluntarium sit vel pactitium vel

1) Hunc scriptorem apud exteros nullibi memoratum invenimus; verum tamen saepe de eo agit DE WAL v. cl. *Inleiding*, cet. passim.

2) De WOLFFIO inter alios cf. VON OMPEDA op. l. § 93; VON KALTENBORN, *Kritik*. p. 66. sqq. et WHEATON, *Hist.* l. p. 227 sqq. qui tamen in nonnullis lapsus est, ut recte adnotavit VON KALTENBORN. l. l.

3) Prodit hoc opus anno 1640—1648 octo voluminibus, quorum singulorum conspectum videre est apud WEBSTER. *Bibl. iur. nat. et gent.* l. p. 411.

4) Quod scripsit WHEATON l. p. 228. WOLFFII, opus de iure naturae constare *novem voluminibus* explicari potest ex ipsa WOLFFII praefatione ad *iuris gentium methodum*: » quod si vero quis obstinatiores fuerit quam ut admittat ius gentium a iure naturae separari, per nos volumen praesens, quod de eo condidimus, partem nonam iuris naturae appellet. » Non tamen quod eam ob causam WHEATONEM inter illos » obstinatiores » numerare volumus: eum in errore versatum esse ex iis, quae ipse statim addit, satis apparet. — Cf. et initium WOLFFII *Institutionum* praefationis.

consuetudinarium. — Inter omnes enim gentes existimat ab ipsa natura constitutam esse civitatem maximam, quae nitatur societate ab ipsa natura inter omnes homines constituta, ut mutuo auxilio se statumque suum perficerent; sic singuli homines coaluerunt in societatem civilem, et eodem modo gentes, quae norunt commoda ex universali societate redundantia impetu naturali feruntur in illam omnium gentium consociationem, ceterae gentes in eam consensurae praesumuntur. — Finis huius civitatis maximae est mutuum adiumentum, forma democratia: viget in ea ius positivum, voluntarium, universale quod aequipollet legibus civilibus. Pro voluntate omnium habetur id, quod maiori parti, i. e. moratoribus, visum est, quodque id est, in quod consentire debent gentes, si ductum naturae secutae ratione recte utantur. Praeterea etiam est ius gentium positivum particulare consuetudinarium aut pactitium”¹⁾. — Ad illius autem iuris gentium voluntarii, non minus quam civitatis maximae notionem destruendam²⁾, ENTRUP conscripsit specimen suum. Iam in initio quaestionem “circa illud ius, quod inter gentes locum obtinet” sibi tractandam sic posuit³⁾: “num praeter sanctissima iuris naturae praecepta inter gentes insuper locum habeat ius aliquod positivum voluntate gentium introductum.” Attamen omnino false quaestionem sic ponit; nam et illi, qui cum eo reiiciunt ius gentium voluntarium, tamen aliud ius gentium, praeter ea sanctissima iuris praecepta agnoscere possunt, nempe illud, de quo iam saepe egimus, quod nititur gentium consensu, sive tacito, sive expresso⁴⁾. Sed videamus paullo accuratius quam auctor noster viam ingressus sit, ad quem finem pervenerit. —

Ictos, qui hanc iuris disciplinae partem attigerunt dividit in duas classes. Priori adnumerandi ex eius opinione, ii qui

¹⁾ ENTRUP. § 4. Haec sunt ipsa verba auctoris huius speciminis, quibus concinne expressit systema illud WOLFFIANUM, quod diu multis in ore fuit.

²⁾ WOLFFII doctrinam de civitate maxima egregie refutavit DE VATEL op. I. Préface p. XXIII. seq.

³⁾ § 1.

⁴⁾ Melius quaestionem definit § 7.

stant pro iure gentium voluntario a iure naturae distincto quales sunt GROTIUS, MEVIUS, SELDENUS, VELTHUYSIUS, SAM. BACHELIUS, VITRIARIUS, aliique, et imprimis, quamquam aliter illud concipit, WOLFFIUS¹⁾. — GROTIUS certe ius gentium agnoscit a iure naturae diversum; verumtamen iterum hic nobis monendum est, (atque hoc egregie praetervidit ENTRUP) apud GROTIUM duo distinguenda esse iura gentium, unum, quod *inter gentes* valet nititurque aut iure naturali aut gentium communi consensu; alterum, quod latius patet quam ius civile quodque multarum gentium voluntate vim obligandi accipit²⁾. Quid de hoc censeamus supra iam sat saepe exposuimus, sed quoquo modo res sese habet, hoc planum est, comparationem, quam auctor instituit inter GROTII et WOLFFII ius gentium voluntarium³⁾, iam eo nomiine absurdam esse, quod omnia ea, quae a GROTIIO illuc referuntur⁴⁾, a WOLFFIO pertractantur in tribus prioribus Institutionum partibus; ubi de solo iure naturae agit; in quarta enim parte demum ius gentium attingit, ibique nullam harum rerum facit mentionem. — Alteri Ictorum classi ENTRUP adscribit patronos contrariae sententiae, *non dari nempe ius gentium positivum a iure naturae distinctum*, inter quos praecipuum obtinent locum HOBBSIUS, PUFENDORFIUS et praeter alios etiam BARBEYRAC et HEINECCIUS, ut ipsi iam vidimus⁵⁾. — „Arridet nobis (sic pergit) haec sententia postrema neque aliud ius, quod veram vim obligandi habeat qualis legibus competit, inter gentes obtinere putamus quam ipsas leges naturales.” Negat igitur dari ius gentium positivum, negat iura pactitia peculiare ius gentium appellari posse, iisque leges constitui; negat mores et consuetudines

1) § 3.

2) GROTI. *de I. B. et P.* Proleg. § 1. 17. 40 et I: 1 § 14.

3) § 5.

4) *De I. B. et P.* II: 19. § 6.

5) Errat tamen auctor quum iis annumerat DE VATTEL, qui diserte agnoscit ius gentium positivum, ut dicit, a naturali sive necessario distinctum, quamquam acriter refutet WOLFFII civitatis maximae notionem. — Cf. modo eius operis *Préface* et *Préliminaires*, passim, imprimis tamen § 27.

tacito earum consensu comprobari easque vim obligandi habere; negat obligationem internam idoneam esse fundamentum pro obligatione externa ad civitatem maximam inter gentes constituendam et ad concipiendum ius gentium consentiente earum voluntate constitutum. — Quod ad ultimum hoc attinet, omnino cum eo facimus civitatem illam maximam esse chimaeram¹⁾, nusquam inter gentes talem rempublicam inveniri, et praeterquam quod multa in ea desiderantur, quae ad civitatis rectam notionem desiderari nequeunt (v. c. forum publicum in quo omnes civium lites dirimuntur), insuper illud pugnare cum summo iuris gentium principio, quod omnes gentes liberae sint quasi personae, et inter se aequales. Verumtamen ex hoc principio non necessario sequitur²⁾ nullam omnino esse ius gentium a iure naturae distinctum, contrarium iam satis apparuit ex iis, quae ex BYNKERSHOEKIO adduximus. Neque igitur hoc loco iterum refellemus tres illas priores assertiones sive potius negationes; aedem fere sunt, quas iam in BARBEYRACIO, HEINECCIO aliisque reprehendimus, de nonnullis tamen eius argumentis pauca dicemus. Consensum tacitum existere non satis probari contendit, quia imitatio *continuata* inter gentes deest³⁾; et hanc in rem satis acute profert exemplum, quod sollemnis indictio belli non ubique inter populos observatur. At praetervidet ipsum BYNKERSHOEKIUM, ex quo exemplum illud hausit, diserte scripsisse, belli indictionem *recte* praestari, *iure* tamen non peti posse, quia gentium usus hac in re non consentaneum est⁴⁾. Quid vero si nos ex eiusdem Icti scriptis haurire volumus ad nostram sententiam firmandam doctrinam de contrabandis, de legatorum iuribus et privilegiis, de iure eorum, qui sunt in bello medii, de paroemia *vrij schip, vrij goed?* certe omnia haec tantum, sive ex pactis, sive ex usu diuturno cognosci possunt, sed quid his in rebus iuris sit ex pactis usuque etiam firmiter constat. — Alterum affert argumentum nempe quod, ut consuetudo legem obtineat, requiratur

1) § 14. sqq.

2) § 8.

3) § 11.

4) BYNKERSH. Q. I. P. I: 2.

tacita supremæ potestatis approbatio¹⁾ et laudat verba VOËTII, quæ tamen omnino contra eum faciunt: „in statu democratico, inquit VOËTIUS²⁾, populus consuetudinem liberrimo suo arbitratu introducit, quia legis condendæ potestatem habet, nec alia de causa tunc quemquam lex tenet, quam quia populi iudicio recepta est: at ubi omnis in principem ferendæ legis potestas translata fuit non aliter quam concurrente eiusdem continentia diuturni gentis mores legem imitabuntur.” Quum ergo inter gentes nulla est principis potestas, sequitur eas esse considerandas, quasi membra status democratici, igiturque se ipsas consuetudini legis vim dare posse. Ex philosophorum, historicorum aliorumque de quibus GROTIUS loquitur³⁾ testimoniis tantum confici posse ait, consuetudinem esse, non eam iuris obligationem habere, verumtamen si constat consuetudines illam vim obligandi habere posse, opus tantum est ut demonstretur eas revera extare. Denique arguit nullum esse modum iuris gentium positivi defendendi. At præterquam quod ille modus omnino extat — quid enim aliud bellum est? — hac in re valet, quod ubique verum est, summum ius nobis esse posse, etiamsi desit modus quo illud ius defendamus⁴⁾. Iam vero quum sibi demonstrasse visus est auctor nullum esse ius gentium voluntarium, consuetudinarium aut pactitium ad aliud quid transit⁵⁾, nempe ut probet ea, quæ a viris eruditis ad ius gentium positivum referri solent, quam plurima esse ad ius naturæ referenda⁶⁾: in ea argumentatione tractat ius legationis, sepulturam hostium in bello caesorum, usum caerimoniarum, iura occupationis bellicæ et repressaliarum, iura postliminii, ius legationis assiduæ. Longius foret si eum in his ubique sequeremur: igitur hoc dixisse sufficiat, quod etiamsi hisce pluribusve exemplis probare potuisset, omnia ea recta via

1) § 11.

2) VOËT ad. tit. ff. de legibus (I: 3.) § 27.

3) Proleg. § 40.

4) Cf. PHILLIMORE I. p. 72, 73.

5) § 25 sqq.

6) Eodem fere modo egerunt ROTGERS et KAPPEINE in Diss. supra (p. 27.) laudatis.

ex iure naturae proficisci, nil impedire, quominus tot alia obiiceremus quae nullo modo eo referri possent. Verumtamen libenter damus nostro auctori multa eorum, quae laudantur ipso iure naturae, sicuti ius legatorum mittendorum, licet usus et diuturna consuetudo rem postea mutaverint, sed firmiter quoque tenemus alia, v. c. ius legationis perpetuae, usum caeremoniarum, quas gentes tam anxie observare solent, tantum deducenda esse esse ex iure gentium, quod populorum consensu invaluit ¹⁾.

Scimus quod ad ius legationis perpetuae auctorem ipsum concedere id ex iure naturae deduci non posse; verum quum, ut sibi constet, addit illud eam ob causam tantum esse morem cui, ut obsequatur, nemo cogi potest, eum rogatum esse vellem, etiamsi constet principem cogi non posse ad legatum assiduum mittendum, quid faciendum putaret, si princeps alterius legatum assiduum excipere nollet? Qui hunc misit certe provocabit ad morem et diuturnum usum ²⁾: igitur ius legati assidui mittendi derivetur ex consuetudine, sive ex tacito in hunc morem gentium consensu.

In exitu dissertationis duo laudat „Politicoꝝ consilia ingeniosissima et pro amore erga salutem generis humani excogitata,” eorum nempe, qui *civitatem maximam* a natura institutam negantes, libera tamen omnium gentium voluntate ineundam maximopere suadent, vel, quod aliis magis arridet, tribunal publicum civitatum Europaearum erigendum commendant ³⁾, illud maximis difficultatibus obnoxium fore putat; inprimis quod imperium adeo vastum facile sua mole corrueret nec diu stare posset. Hoc, ut tribunal publicum inter gentes Europaeas

¹⁾ Cf. DE WAL, *Inleiding* cet., p. 53 et 54.

²⁾ WOLFFII (*de I. G. c. IX. § 1048*) aliorumque argumentum legationes assiduas reiici posse quia mos antiquus cui illae ignoratae essent, doceret iis non opus esse, eiusdem pretii est ac si quis contenderet viis ferreis opus non esse, quia maioribus non innotuerint, igiturque eas non esse ducendas. — Cf. F. G. PESTEL, *or. de differentiis in veteri et recentiori gentium Europaearum politica*. p. 23: » Id assecuta est gentium, quae in unius quasi corporis formam coaluerunt, universitas, ut legati perpetui communiter admittantur.»

³⁾ *Specimen*. § 35.

erigatur ita ut unaquaeque respublica propriis suis legibus civilibus regatur, sed ut omnes illae civitates Europaeae in unum systema civitatum confoederatarum consocientur, atque in nobilissima urbe collegium constituant, quod de omnibus inter gentes Europaeas litibus oriundis iudicet et sine ulla appellatione aut revisione sententiam ferat decisioram ¹⁾, maximopere sese commendare censet. Attamen hominibus spectatis non ut esse debent, sed ut esse solent, tanta commoda inde exspectanda non arbitratur, metuendum potius ne potentiores primas partes sibi vindicant, ne partium studium, ut in quaque civitate, sic et in systemate civitatum locum ingentem obtineat. Sed de hisce consiliis infra nobis dabitur opportunitas plura dicendi.

Longiores fortasse fuimus in exponendo systemate, quod hocce specimine continetur: imo forte quis obiiciet eum, qui tantum scripserit ad maximam iuris gentium partem negandam non adnumerandum esse viris doctis iuris gentium peritia insignibus. Is verum animadvertat velim illum, qui negat scientiam aliquam existere, melius nonnumquam in ea versatum esse quam alius, qui eam sibi assumat. Et nisi fallimur, non multum abest, quin id de huius speciminis auctore dici possit. Acute, clare et diserte totum pertractat argumentum; conatur adversariorum argumenta penitus destruere, in quo conamine tamen, ut iam vidimus, lapsus est: ita ut multa, quae ad ius naturale ei pertinere viderentur, ipsa sua dissertatione docuerit nullo modo eo referri posse.

Reiecto iure gentium, quod ex populorum consensu venit, admittit tamen inter gentes observanda esse iuris naturae praecepta, illudque vocat, ut iam ex titulo praesentiri potest, ius gentium naturale. Verum licet hoc nomen recte retinere possis si praeterea aliud ius gentium agnoscas, nullius pretii est si putes ius naturae solum inter gentes vim obligandi habere. Qui igitur eodem modo ac ENTRUP aliique de hac materia sentiant, candide agnoscant, ut fecit ABRAHAM ROTGERS, *nullum*

¹⁾ § 36. — Tale schema ediderunt etiam LEIBNITZIUS, ABBA DE ST. PIERRE, aliique, nec ab eo alienus videtur fuisse FREDERICUS MAGNUS, Borussiae rex.

²⁾ A. ROTGERS, *diss. qua adstruitur ius gentium non dari*. L. B. 1710. Cf. DE WAL, *Inleiding* (op. l.) p. 44 sqq. et passim.

dari ius gentium ¹⁾). Hic enim in dissertatione inaugurali, quam etiam inseruit suis *Apodicticis Demonstrationibus* „relegavit (i. e. relegasse sibi visus est) extra iurisprudentiae limites rediculum illud, stolidum, ineptum ac impium ius gentium.” „Exposui illud, inquit, omnium derisui, quia fastu turpi et conatu pessimo illic sedem sibi vindicaverat, quasi aliqua maiestate innixum, cum potius illud iam nunc appareat dignum, quod carceribus addicatur perpetuis et sempiternis vinculis constringatur.” „Poenas demus (sic pergit) tantae temeritatis, quae palam apud omnes, professo nomine putidi illius iuris gentium quod gentes sancivisse aiunt Icti nugivendi, legislatorem etiam ultro lacessimus. Vindicet se adversus nos, qui etiam praeterea cunctas poenas in hoc unum caput deposcimus, quas omnes ante nos quoque meruerint viri, qui pulchro instituto conati fuere a iurisprudentia nostra istud ius gentium removere. ¹⁾.” Qui tali modo scribere potest vix dignus videtur, qui serio refutetur. Neque in eius dissertatione novum aliquid reperietur argumentum: iis tantum utitur, quae iam saepe refellimus. Postquam enim initio illud, quod iuris Romani interpretes vocarunt ius gentium *primaevum* idem esse ac ius naturae perhibuerit, transit ad ius gentium *secundarium* ²⁾; idque non dari contendit, quia omne ius a superiore ³⁾ fertur gentesque inter se aequales sunt; mores non pro iure habendos esse ⁴⁾, consuetudinesque vim legis habere non posse nisi ex voluntate summi imperantis qualis non est inter gentes ⁵⁾. Deinde refutat quorundam interpretum sententias, quae in refutatione hoc animadvertendum ex eius opinione usum gentium tantum firmare posse ius naturae, imo ex eo saepe unice apparere quid iuris naturalis sit, verum novum ius condere non posse ⁶⁾. Porro aequae ac ENTRUP, sed multo latius, omnia quae ius gentium hactenus iniuste habuit vindicare conatur iuri naturae,

¹⁾ Praef. *Apod. Demonstr.* L. B. 1727.

²⁾ Cap. III. § 4. Cf. MERLIN. *Répertoire*, in voce *Droit*.

³⁾ Cap. III. § 5.

⁴⁾ *Ibid.* cf. et IV. § 6.

⁵⁾ IV. § 9.

⁶⁾ Cap. IV. § 3 et 4. cf. et I. § 2.

sed ita ut, quum offendit hoc illudve, quod eo referri non possit, morem vocet, quo gentes non obligantur. Sic ad ius naturale se retulisse opinatur non solum ius sed et formam bellandi, legationes et legatorum sanctitatem, dominia, contractus, sepulturam, cet¹⁾. Denique conventiones nullum ius gentium arguere, verum ex ipso iure naturae eas devenire. Nonnulla certe adducit, quae vera sunt, sed multo plura falsa, praeterea valde diffusus est, et nimis nititur multorum auctoritate, imprimis iure Romano. Dissertationem igitur meminisse sufficiat ius gentium certe nos non minoris faciemus, ceteri ROTGERSIUS illud stupidum et ineptum quid vocet²⁾.

§ 7. G. NOEST.

Medio saeculo XVII (quum ut mox latius exponemus) languabat et torpebat iuris gentium studium in patria nostra, exstitit auctor qui, si non multum suo ipsius ingenio praestiterit in nostra disciplina, haud spernendum tamen edidit opus in quo plerumque quos iam tractavimus auctorum sententias de variis iuris gentium partibus in unum veluti corpus redegit. GERARDUS NOEST scilicet³⁾, magistratus urbis Purmerendae, I. I. VITRIARIJ discipulus, non inanem operam praestitutum se opinatus est, si in usum eorum qui latinum non callerent sermonem GROTIJ

¹⁾ Cap. VII—XI.

²⁾ ROTGERSIUM acute perstrinxit DE WAL op. l. p. 47. — Ne quis forte etiam nunc miretur nos ENTRUPH et ROTGERSII dissertationes in hacce commentatione specialiter tractasse, nostra facimus verba, quae praefixit VON KALTENBORN ultimo capiti egregii operis *Kritik des Völkerrechts*: capiti quod inscribitur: *die Lügner des Völkerrechts*: »Dieses Kapitel wird hier am Ende unseres Buches einzig deshalb abgehandelt, damit nicht durch unser Schweigen die Gegner und Lügner des Völkerrechts sich einbilden möchten, wir hielten ihre Gründe gegen die Existenz des Völkerrechts für allzu wichtig und für allzu schwierig zu widerlegen, als dass wir uns daran gewägt hätten.“ Neminem pigebit totum hocce caput perlegisse. Cf. PHILLIMORE o. l. I. p. 72, 73.

³⁾ Mr. GERARD NOEST, *Het algemeen Staatsrecht, gebruiklijk in tijden van vrede en in den oorlog, opgehelderd uit de reden en het recht der Natuur en der Volken*, cet. Amst. 1753.

opus celeberrimum vernaculo verteret sermone, non tamen omnia ad verbum reddens, sed ita ut auctoris mentem ac consilium exponeret et quae ille conscripserat elucidaret, confirmaret, aut etiam refutaret, sive sententiis eorum qui post GROTIUM in iuris gentium disciplina auctoritatem nacti erant (PUFENDORFII, BARBEYRACI, HEINECCI, BYNKERSHOEKII) sive exemplis ex recentiore tempore historiae Europae petitis¹⁾. Quum autem PH. R. VITRIARI secutus exemplum, ordinem GROTIANI operis quantum fieri posset retinuit, in scripti consilio tamen toto coelo ab illo viro clarissimo discrepuit: VITRIARIUS enim sibi proposuerat in compendium redigere quae GROTIUS scripserat in libris *de iure belli ac pacis*, NOESTIUS expositionem illorum librorum dedit multo latiore quam ipsum GROTII opus. Vel sic tamen in hoc conveniunt, quod ambo etiam hac in re GROTIUM secuti ius publicum a iure gentium non seiunxerint, sed utrumque aequè diligenter pertractaverint.

Quae de iure gentium universe spectato de suo conscripsit perpauca sunt: refert plerumque tantum (idque satis accurate) quae GROTIUS hac in re egerit et de quibus nobis iam supra sermo fuit. Hic atque illic tamen perlucet ipsius auctoris sententia. Sic quum versatur in notissimo GROTII loco ubi ius gentium vocatur illud "quod gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accepit²⁾," multus est in defendendo contra PUFENDORFIUM et BARBEYRACUM iure gentium usu et consuetudine introducto ac conspicuo in iuribus legatis concessis quae ex iure naturae derivari nequeunt, in armorum nonnullorum usu in bello illicito, similibus; attamen impugnat GROTIUM quod hic istis legis tribuat vigorem atque una cum BARBEYRACO unicuique genti concedat ius abstinendi quum velit, ab illis quae tantum usu et consuetudine nituntur³⁾. Mox vero⁴⁾ disertis verbis declarat *tacito consensu* inter Europae gentes constitutum esse ne veneno in bello utantur, ne captivi in servitutem detrudantur, cet. Mirabile sane *ius* quod tacito

1) Vid. op. praef.

2) Vid. quae supra de hoc loco exposuimus. p. 24 sqq.

3) L. I. c. 1 § 14.

4) L. I. c. 2. § 3, 4.

consensu conditur et diuturno usu confirmatur, at statim tollitur simulac uni alterive consentientium videtur nullam amplius eius consensus rationem habere! At quid haec similiaque argumenta valeant iam sat saepe in superioribus exposuimus ¹⁾).

Iterum de iure gentium a iure naturae diverso agit in loco de legatis ²⁾ atque ibi tam strenue defendit iura quae legatis ex utroque competunt, ut doceat ex eorum iurium violatione iustam nasci belli causam. Vix igitur auctor sibi constare dici potest quum hoc loco tantam vim tribuit iis, quae pro parte saltem usu tacitoque gentium consensu nituntur ³⁾).

Universe autem dicendum est, NOESTIUM non satis perspectum habuisse ex quibus fontibus ius gentium hauriendum esset ⁴⁾); quod mirari licet quum fugere eum non possent ea, quae v. c. BYNKERSHOEKIUS de rationis et usus auctoritate in hac materia conscripsit. Maioris vero aestimanda sunt, ut deinceps videbimus, quae auctor de singulis iuris gentium partibus primariis egit.

NOESTIUS non magnam famam apud exteros nactus esse videtur, nusquam enim eius operis in extraneorum scriptis mentionem invenire potuimus. Neque hoc miramur, quum (ut iam diximus) unicum operis consilium esset ut vernaculo redderentur sermone quae latine erant conscripta atque ita iam per totam Europam pervulgata erant.

¹⁾ Operae pretium est cum illis conferre quae scripsit LEIBNITZIUS in praefatione ad *Codicem iuris gentium diplomatici*: »Praeter aeterna naturae rationalis iura ex divino fonte fluentia ius etiam voluntarium habetur receptum moribus vel a superiore constitutum. Et in republica quidem ius civile ab eo vim accipit qui summam potestatem habet: extra rempublicam, vel inter eos qui summae potestatis participes sunt, locus est iuris gentium voluntario tacito consensu populorum recepto.»

²⁾ Lib. II. c. 18.

³⁾ Egregie se habent quae scripsit in sequenti capite de iure sepulturae perperam a GROTIUS ad ius gentium relato, et omnino ad ius naturae pertinente. Vid. supra p. 23 et 24.

⁴⁾ Aliud huius rei exemplum est locus ubi agit de praescriptione. L. II. c. 4. § 9.

§ 8. E. LUZAC.

Novum iam nobis ingrediendum est stadium iuris gentium studii in patria nostra. Post BYNKERSHOEKIUM nempe, si dissertationum academicarum auctores una cum NOESTIO excipimus, per dimidiam fere saeculi partem ad nullum provocare possumus scriptorem, qui aliquo modo inclaruerit in nostra disciplina colenda. Duriora sint, quae I. M. KEMPER v. cl. scripsit ¹⁾: „Torpebat et quasi mortuum erat in Hollandia iuris naturae et gentium studium, et quae auctorem ac patrem philosophiae iuris GROTIUM suum cum superbia nominabat civitas, ea nominare Belgam, qui vestigiis GROTII institisset, nullum poterat: in litterato iuris Romani studio consistebant fere omnes, nec profecto contra magna et praeclara nomina SCHULTINGII, NOODTII atque BYNKERSHOEKII aliquam sibi auctoritatem acquirere vel conservare poterat Germanorum nonnullorum mediocritas, quibus extraneorum alliciendorum causa per saeculum fere cathedra iuris naturae et gentium et publici in Leidensi Academia fuit commissa:” duriora haec sint, inquam, imprimis quum BYNKERSHOEKIUS non tantum iuris Romani studio sed etiam iuris gentium peritia dignum se praestiterit HUGONIS GROTII patria: veriora tamen esse negari non potest. Plerorumque certe, quos hucusque commemoravimus (BARBEYRACI, VITRIARI, HEINECCI), si patriam quaerimus, Galliae aut Germaniae nomen excitandum est: neque minus concedendum hosce vix comparari posse cum GROTIO, HUBERO, BYNKERSHOEKIO, qui in nostra patria primam lucem viderunt.

Bonum igitur laetumque est, quod exeunte saeculo superiore novus iuris gentium studii ardor nostrates accenderit, ex quorum scholis multi orti sunt talibus praeceptoribus digni discipuli. „Quae novam iuris philosophici studiis vitam darent caussae iam aderant duae potissimae: apud Germanos nova WOLFFII philosophiae schola: apud Gallos vero opus MONTESQUIEVII de rationibus legum ²⁾.”

Utriusque autem scripta „nocturna diurna manu versa-

¹⁾ *Memoria* H. C. GRASSII. (Amst. 1125) p. 4 sq.

²⁾ KEMPER. *Ibid.* p. 5.

bat" ELIAS LUZAC "philosophus non modo sed et iuris consultus, neque ex plebe advocatorum verum doctus et eruditus 1)." WOLFFII *institutiones* quas supra iam memoravimus 2) Gallica lingua (quacum magnam familiaritatem contraxerat) versas ac "suis egregiis commentariis auctas typis repeti in Belgio ille curavit," et annotationes philosophicae ac politicae anonymi cuiusdam, quae reperiuntur in editione MONTESQUIEVII operis *de l'Esprit des lois* 3) ab eius manu profectae sunt. Quamquam autem praesertim versabatur in iuris naturalis studiis 4), ad utrumque tamen horum auctorum, imprimis, ut ipsa res loquitur, ad WOLFFIUM multa egregie annotavit, tum de iuris gentium significatione atque indole, tum de singulis huius disciplinae partibus, in quibus tractandis saepissime BYNKERSHOEKII opinionem refutat. Neque ad rem nostram minoris pretii sunt eius epistolae ad ROSSAVIUM, cuius in *tractu sociali* ratiocinationem vestigiis persecutus lepide perstringit 5), GROTHII argumentationem, quam ROSSAVIUS ridiculam reddendam sibi proposuisse visus erat, praesertim de bellicis rebus ubique defendens.

Iam ex omnibus hisce colligamus, quae LUZACIUS noster statuendum esse duxit de iure gentium. Definitionem dat in ipsa dedicatione versionis WOLFFII institutionum: ius, quod inter unam gentem alteramque, sicuti et inter universas gentes locum habet 6), cuius ius naturale fons est aequae ac ius civile. Egregie docet quid intersit inter ius gentium Romanorum Ictorum

1) KEMPER, *Ibid.* p. 6.

2) *Ibid.* p. 45.

3) Quae prodiiit Amst. et Lipsiae anno 1763 (4 vol. 12°).

4) Quod testatur, praeter iam laudata eius opera, praesertim aliud: *Du Droit naturel, civil et politique*. 3 vol. Amsterd. 1802.

5) LUZACIUM alienum fuisse a ROSSAVII thesi admittenda *civitatem nisi conventionem civium* testantur, quae scripsit in Ep. I. p. 63. Cf. tamen GROEN VAN PRINSTERER, *Handbook*, cet. § 703 et 777.

6) P. X. (Ed. L. B. 1772) "le Droit, qui a lieu d'une nation à l'autre et des nations entre elles." — Egregie docet MONTESQUIEVII definitionem absurdam esse, quippe definitionem in orbem. Vid. not. ad *Esprit des lois* (XI. p. 11) "Le Droit des Gens, dit il, sont les lois dans le rapport que les différents peuples ont entre eux: or

et recentiorum scriptorum: illud nempe continere omnia quae homines docet naturalis ratio, quibusque omnes gentes utuntur; Romanos igitur ius gentium tantum considerare quoad fontem, unde sciri possit quid iustum iniustumve sit, naturam nempe hominum, rationemque naturalem; recentiores vero eius rationem habere ét quoad fontem unde derivatur ét quoad obiectum, *gentes ipsas*¹⁾). WOLFFII civitatem maximam admittere videtur et huius iuris gentium voluntarii nomen tantum condemnat quia ex eius opinione iura, quae in ea omnium hominum societate valere debent deveniunt non ex hominum voluntate sed ex ipsius huius societatis natura. Verumtamen diserte docet iuris naturae praecepta, quamquam plerisque in rebus sua natura eadem sint singulis hominibus ac totis gentibus tamen inter gentes non sufficere: ius publicum enim saepissime mutationes subire debere secundum obiecta, quibus applicatur, rationes autem, quae inter homines locum habent non ubique easdem esse ac inter gentes, igitur iura inter has saepe diversa esse eodem modo ac inter illos iam per se patet²⁾). Inde sequitur auctorem nostrum etiam necessario vim obligandi tribuere pactis ac consuetudini³⁾). Sic v. c. defendit GROTIUM, quod hic ex veterum usu multis exemplis probet *veteribus* ius fuisse victos in servitutem redigendi⁴⁾), immo in hoc ipso ar-

puisque (voyez p. 1) *les lois sont les rapports nécessaires, qui dérivent de la nature des choses*: le Droit des Gens sera selon Mr. DE M. *les rapports nécessaires, qui dérivent de la nature des choses, dans le rapport que les différents peuples ont entre eux*. Cela est il intelligible?"

1) Annot. ad § 1088 WOLFFII *Inst.* Meliora haec sunt, quam quae de discrimine inter veterum recentiorumque ius gentium disseruit in epistola ad ROSSAVIUM, p. 53 sqq.

2) Annot. ad § 1140. Cf. DE VATTEL, *Droit des Gens*: Préliminaires. § 56.

3) Disertius idem LUZACIUS hoc docuit in Epp. quae prodierunt sub pseudonymo REINIER VRIJAART, (*Openhartige Brieven om te dienen tot opheldering en regte kennis van de Vaderlandsche historie, 1781—1784*). Tom I. p. 58: „Tusschen de volken heeft geen ander recht dan het Natuurlijke en het recht der volken plaats, en zij moeten zich voor het overige houden aan hunne verbonden.”

4) *Lettre à Mr. ROUSSEAU*, p. 44—56. Vid. inpr. p. 55.

gumento nimis magnam vim usui tribuere videtur; ipse enim confitetur, eodem GROTIUS duce, victos in servitutem redigere eosque interficere ex iure naturae et praeceptis moralibus vetitum esse, et iam saepe diximus ¹⁾ ius naturae aequae ac doctrinam moralem legem esse aeternam cui nulla humana lex ne tantillum quidem repugnare potest. Rectissime igitur docet GROTIUM errare, scribentem ²⁾: „ius gentium permittit multa, quae iure naturae sunt vetita,” sed recte sese habere, quae sequuntur: „vetat quaedam permissa iure naturae.” „Nam, quem interficere liceat, eum gladio an veneno interimas nihil interest, at ius gentium si non omnium certe meliorum iam olim est ne hostis veneno interficiatur ³⁾, qui consensus ortus est ex ea ratione communis utilitatis, ne pericula in bellis, quae crebra esse coeperunt nimium intenderentur.”

Haec quod ad LUZACII opinionem de iure gentium universe attinet: quae de singulis, inprimis de bellicis rebus et de legatorum iuribus disseruit infra suis locis dispiciemus. Hoc modo addamus ⁴⁾, ex omnibus eius scriptis patere eum inprimis operam dedisse, ut omnia, quae WOLFFIUS in abstracto, ut aiunt, constituerat praecepta ipse cum legibus populorum compararet.

§ 9. H. C. CRAS.

Inter eos, qui in patria nostra optime de iure gentium excolendo meruerunt, non est praetereundus HENRICUS CONSTANTINUS CRAS, qui non solum huius disciplinae conditoris laudes et apud Neerlandos et apud externos celebravit, sed et ipse ita nostrae scientiae et simul iuri naturae operam dabat, ut utriusque disciplinae professionem illustris Athenaei Amstelodamensis curatores cathedrae iuris civilis, quam eodem loco iam occupabat, adiunxerint. Ex maxima necessitudine quae ei erat cum ELIA LUZACIO ab illo inde tempore, quo ad iurispruden-

¹⁾ Vid. supra p.

²⁾ *De I. B. et P.* III. 4. § 14.

³⁾ Cf. LUZAC ad § 1195 WOLFFII.

⁴⁾ Ut recte monuit KEMPER, v. cl., or. laud. p. 6.

tiam in Academia Lugduno-Batava accederet, fructus tulit neque paucos neque leves ¹⁾). Ab illo etiam hoc didicisse videtur, ut plurimi faceret HUGONIS GROTII scripta, ita ut cum publici iuris docendi provinciam susciperet, orationem habuerit *de perfecti Icti forma in Hugone Grotio spectata*, cuius orationis postea magnam transcripsit partem (quam tamen multis additamentis auxit) in *laudatione Hugonis Grotii*, cui in publico certamine palmam dedit Academia Regia Holmiensis Sueciae ²⁾). Audiamus, quid scripserit de GROTIIO iuris gentium vim ac auctoritatem vindicanti ³⁾). „Plena in luce, inquit, collocavit non illud quidem universale omniumque populorum commune quale gentium ius. Praeter ipsius iuris naturae decreta nullum reperiri vir magnus ipse fatetur, sed proprium quoddam ius earum nationum, quarum ex tacita voluntate illud nasci posse et natum esse censuit, eaque propter voluntarium et arbitrarium appellavit. Hoc vero ius gentium eodem modo docuit probari quo ius non scriptum civile, nimirum usu constanti ac testimoniis peritorum. Itaque longe absit a nobis istaec iniquitas, ut GROTIUM unquam somniasse arguamus praecepta huius iuris gentium esse leges proprie dictas a naturae legibus totas disiunctas et penitus diversas, quam opinionem viro temere tribuerunt multi, eaque de causa magno conatu bellum moverunt. Immo GROTII haec fuit doctrina, consensum etiam factis et non factis quae indubitatae voluntatis signa habeant declarari, atque ita tacite datam fidem longoque usu confirmatam ex ipsius naturae decretis iura quaedam gentium et officia parere, quae sine magno scelere nequeant violari.”

Non potuimus totum hunc locum non transcribere, quum tam multum faciat ad corroboranda ea, quae et nos iam supra

¹⁾ Vid. J. M. KEMPER v. cl. orat. laud. p. 4 et CRASSIUS ipse in *Notice sur la vie et les écrits d'Elie Luzac* (praefixa LUZACII opusculo: *Le Bonheur ou nouveau système de Jurisprudence naturelle*, Amst. 1820) inpr. pag. 23, sq.

²⁾ De nexu inter utramque orationem ipse dixit in praef. ad *Laud. HUGONIS GROTII* (Amst. 1796). De huius laudationis meritis verbo monuit KEMPER, or. laud. p. 32.

³⁾ *Orat.* p. 26, 27. *Laudat.* p. 24, 25.

saepius de GROTIUS diximus; strenuum igitur iuris naturae defensorem, qualis CRASSIUS fuit (quem tamen in iure naturae tractando multo plus praestitisse quam in iuris gentium disciplina et nos quoque confitemur) habemus docentem consuetudinem esse et tacitum consensum, qui, dummodo ex historia probentur ¹⁾, una cum iuris naturalis praeceptis officia inter gentes observanda constituunt, eundemque insuper testantem hanc etiam fuisse illustris GROTIUS opinionem.

Attamen veritatis fines excedere videtur CRASSIUS cum dicit „iuris naturalis gentiumque disciplina quanto superiores vicerat tanto etiamnum posteris GROTIUS praestare ²⁾.”

§ 10. F. G. PESTEL.

Pluribus de iure gentium egit Crassianae Amstelodamensis iuris naturalis scholae in Academia Lugduno-Batavae aemulae ³⁾ princeps FREDERICUS GUILIELMUS PESTEL. Sicut CRASSIUS ita et ille totum fere se vovit iuris philosophici studiis: neque eum tamen minoris momenti fecisse historiam testantur eius *Commentarii de Republica Batava*. Ex omnibus eius operibus diserte patet quid ipse cogitaverit de iuris gentium disciplina nec minus quam ille egregius eius exstiterit fautor. Inprimis tamen de eo argumento accurate egit (idque multo melius quam multi alii doctores in docto elaboratoque systemate) ⁴⁾ in orationibus quibus Professoris Lugduno-Batavi munus auspicatus est quibusve bis Rectoris Magnifici provinciam deposuit. Gentium ius (quod una cum iure naturali et iure publico proprie sic dicto ius publicum universale constituit) ibi docet bipartitum esse, 1^o quod inter universos populos natura stabilivit, 2^o quod usu vel consensu humaniores atque coniunctiores inter se statuerunt ⁵⁾. Sic „acerbitas bellorum, quam GROTIUS dissuasit

¹⁾ *Orat.* p. 56.

²⁾ *Orat.* p. 30. Neque haec in *Laudatione* repetita esse repperi.

³⁾ KEMPER or laud. p. 10.

⁴⁾ Valde tamen dolemus, quod eius *Prolegomenorum iuris naturae et gentium* editorum Lingoviae anno 1758 copia nobis facta non sit acque minus ac eius dissertationis *de eo quod interest inter ius et rationem belli*, ibid. 1763.

⁵⁾ *Or de damnis ex negl. iuris publ. in civilt. redundantibus.* p. 22.

sed iniustam esse negavit, retusa est sanioris philosophiae praeceptis ac gentium moribus: praevaluit sententia bellum non cum inermi et tranquilla civium multitudine sed cum solis armatis ¹⁾ geri, in hostes tela mitti, non autem illis aegre fieri, saucios ét hostes ét amicos pari cura victor hodie complectitur, praedae maritimae ius foederibus coerceri coeptum est, mercaturae cum a 50 inde annis certatim studeant populi Europaei necessitudo quaedam inter navigantes et mercatores arctior coaluit ex qua ius quoddam inter eos natum communi gentium consensu paullatim firmitatem nactum est ²⁾. — Generis humani maxime interesse profitetur ut iuris gentium, quod voluntarium dicitur ob originem, necessarium est vi sua, quae gentes obstringit, stabile fundamentum exquiratur ne illud ius, a quo tot hominum quies pendeat anceps et veluti volaticium sit ³⁾. Monet hic magnum et catenatum laborem exigi, quod quum certum et consentaneum quid statuere velis, seriem rerum gestarum ex tot diplomatum codicibus et historiarum monumentis repetere cogaris imprimis tamen summa ingenii perspicacia utendum esse ⁴⁾. — Neque minoris pretii sunt, quae in ultima nec non in penultima parte *commentariorum de rep. Batava* scripsit PESTELIUS de iure gentium quibus illi, qui foedere Traiectino coniuncti erant inter se utebantur, „de statu Belgii Foederati ad caeteras Europae gentes relato” et „de iuribus foederum, quae identidem cum ipsis percusserunt ⁵⁾.” Singulae quae in hisce attigit suo loco referemus. Hic tantum monebimus eum in exponendis societatis Traiectinae sociorum iuribus et officiis mutuis docere ex tribus fontibus ea cognosci:

¹⁾ Ne quis obiiciat recentissimam historiam probare id ubique et in Europa quidem non praevalere, idque testari posse Russiae littorales ad mare Balticum et ad mare Azofi; omnium etiam eorum, qui ceteroquin partibus occidentalium addicti sunt, reprobatio satis docet talem immanem barbariem non amplius *iuris* esse inter gentes.

²⁾ *Or. de fructibus qui ex iurispr. perfectiori ad Pop. Europ. saeculo XVIII pervenerunt* (L. B. 1789) p. 50.

³⁾ *Or. de damnis* cet. p. 27.

⁴⁾ *Ibid.* p. 28.

⁵⁾ *Comment. de Rep. Bat.* (L. B. 1782), Proleg. p. VII.

“ex natura, verbis, ac mente foederis, tum ex decretis sociorum postea factis, tandem ex usu, et quidem ex eo usu, qui ex tacita sociorum voluntate ortus, inter populos liberos legem efficit 1).”

PESTELII, sicuti in ceteris iuris disciplinae partibus ita et in iure gentium merita celebrare nostras vires excederet neque id opus est, quum tot tantique eius grati discipuli multiplici modo eius laudes publice praedicaverint. Inter hos praesertim nominandus est summus noster BILDERDIJKIUS, qui non solum lubenter semper profitebatur se PESTELII esse discipulum 2), sed eius doctrinam et humanitatem exposuit in opusculo iam saepius a nobis laudato. “In iure gentium exponendo, sic fere ibi scribit, quod partim oritur ex iure naturae, partim ex foederibus, usu et communi consensu, PESTELIUS imprimis magnum se praestitit et incomparabilem. Locuples eius egregisque fundamentis superstructa doctrina, ingenium acutum et bene exercitatum, animus iustus et integer, in hac imprimis iurisprudentiae parte docenda excellere super omnium imaginationem 3).” Nec alii desunt testes: MEERMANNUS Ictus eximius, artium litterarumque cultor et fautor “PESTELIUM bis audivit GROTII opus immortale *De iure belli ac pacis* iucunda gravitate explicantem 4)”: atque unus omnium ex PESTELII institutione sicut in unaquaque iuris publici parte ita et in hac uberrimos se percepisse fructus gratissimo animo saepius professus est GYSBERTUS CAROLUS VAN HOGENDORP 5).

1) *Ibid.* § 351.

2) Cf. quae hac de re annotavit TYDEMAN vir. cl. in annot. et addendis ad BILDERDIJK: *Gesch. des vaderlands*, Tom. XIII. P. I. p. 195 sq.

3) BILDERDIJK, *Pestel, Gedachtenis-rede* (L. B. 1809) p. 60 et passim.

4) CRAS, vir. cl. *Elogium Meermanni*. (Amst. 1817).

5) Hic sub PESTELIO, cuius per biennium fructus erat privata institutione, defendit *Diss. de aequali descriptione subsidiorum inter gentes foederatas* (L. B. 1786), qua licet pleraque spectent argumentum ex oeconomia politica (quae hodie sic vocatur) depromptum, multa tamen continentur, quae etiam ad nostrum pertinent materiam. Vid. p. 11. ubi laudat PESTELII *Fundamenta Iurisprudentiae*, atque addit: “quibus acutissime expositis, si quam notionem iuris hauserim, eam praecipue de-beo.”

§ 11. FREDERICUS FRANCISCUS LUDOVICUS PESTEL.

Patris quum celebravimus in iuris gentium disciplina merita, non possumus non indicare quanam et filius in ea praestiterit: praesertim cum certe non sine aliquo iure coniecturam facere liceat patris mentem in filii scriptis perlucere. Dissertationi inaugurali *exhibenti selecta capita iuris gentium maritimi* ¹⁾, nonnulla praefixit de notione iuris gentium universa: eaque tam clare et lucide conscripta sunt, ut unum alterumque locum hic transscribere non inutile fore iudicavimus. „Quemadmodum, inquit, hominem cum homine, ita et populos alios cum aliis natura perpetuo iuris vinculo colligavit, quod propterea iuris gentium naturalis seu communis nomine recte appellatur. Est itaque inter populos universos regula quaedam iusti et iniusti certa, sempiterna, nulli temporum statui, nullius populi praepotentis aut plurium vires suas coniungentium arbitrio obnoxia ²⁾. Esse aliud ius gentium harum voluntate profectum permulti negant, affirmant populi Europaei, coque utuntur: intelligimus hoc nomine complexum regularum iuris, quas iustitiae naturali haud adversas complures populi Europaei ad sua et privatorum, quibus imperant, negotia belli et pacis tempore regenda communi consensu constituerunt ³⁾.” Deinde indicat ⁴⁾ hoc suum ius gentium *voluntarium* multum discrepare ab illo, quod apud GROTIUM eo nomine gaudet: neque minus distinguendum esse docet ab humanitate, quam gentes sibi invicem praestant, et a decoro cuius observantissimae esse solent: iuris enim neglectum populi vindicant bello, inhumanitatem et decori iniuriam contemptu aut odio, non vi. Denique ⁵⁾ fundamenta, quibus nititur ius gentium voluntarium (contra PUFENDORFIUM aliosque) egregie demonstrat esse populorum verba et facta: verba quae in foederibus expressa paciscentes tantum obligant, facta, quae usum constituunt, „qui omne

1) De ipsa huius dissertationis argumento infra suo loco videbimus.

2) p. 1.

3) p. 2.

4) p. 3.

5) p. 4—9.

obstringit, qui cum potuerunt et eo, quo ex more gentium debuerunt, loco non intempestive intercesserunt, suamque agendi libertatem integram conservarunt.”

§ 12. P. PAULUS.

Inter eos Ictos qui in patria nostra ius gentium attigerunt singularem quemdam locum obtinet PETRUS PAULUS qui ceteroquin et in iurisprudentia et in rebus politicis — celeberrimum dicam an famosum — certe hominem non vulgaris ingenii se praestitit. In responsione ad quaestionem a moderatoribus rei TEYLERIANAE propositam ¹⁾ docuit omnes homines inter se natura esse pares atque exinde deducit sicuti singulos homines ita et singulas gentes aequo iure frui oportere, imprimis quam inter civitates invicem reviviscit ipse status naturae. Ex ea autem inter gentes iuris paritate nascitur ex eius opinione simplicissima iuris gentium theoria quam ad quinque praecipua refert capita. Primo loco docet in illo statu naturali nullum locum esse dandum cuidam iuri praecedentiae neque titulis aut honoribus ab una gente alteri praestandis. Deinde cuique populo liberum esse ius in omnia maria, et flumina; liberam igitur mercaturam: nullum ius eam prohibendi vel impediendi nisi tempore pestis aut belli: Deum enim cuivis homini plenum in ea ius dedisse neque arbitrari licere singulos huius iuris cessionem fecisse illudque in civitatem transtulisse. Invehitur igitur in eos Europae populos qui illa iuris principia spreverunt: imprimis in Anglos qui sibi dominium maris arrogarunt et in Hispanos ac Lusitanos qui sibi vindicaverunt novam et incognitam ad quam appulerunt orbis terrarum partem. Tertio loco ostendit nulli licere alteri adimere quae huic pleno

¹⁾ Rei TEYLERIANAE moderatores ad quaestionem propositam, quo sensu homines existimari possint aequales et quatenam sint illa iura et officia quae ex ea aequalitate exoriantur duas acceperunt responsiones praemio dignas, quarum auctores erant viri cl. GRAS et BROWN. (Vid. TEYLERS *Godgeleerd Genootschap, Verhandelingen* a^o. 1793 Vol. XIII.) PAULUS varias ob causas impeditus quominus suam commentationem in certamen mitteret, postea tamen eam typis vulgandam curavit. Cf. operis dedicatio.

iure competunt, neque bona, neque vitam, neque libertatem: horum iurium violationem vi repellere licere atque si ipsius gentis cui iniuria allata sit ad illud deficient vires, aliorum populorum esse auxilium praestare; omne vero bellum ob aliam causam susceptum illicitum esse. Quarto plane illicitum, immo summam iniuriam esse, si unus populus se vellet immiscere propriis rebus alterius alterumve suo imperio subiicere aut in servitutem deducere. Necessario inde sequitur nihil magis obstare hominum et gentium naturali paritati quam servorum commercia, immo ipsa servitus. In hoc autem argumento per- lustrando diu versatur auctor; et quae hac de re egit prorsus egregie sese habent ¹⁾.

Videtur autem PAULUS in hisce multa vera falsaque commis- cisse. Nam etiamsi concedendum foret (quod tamen negamus) verum esse, quod auctor sibi in priore parte operis demon- strasse visus sit, singulos homines in statu naturali inter se prorsus esse aequales, falsum omnino est contendere gentes in illo statu naturali vivere: et coeci est negare nullum aliud inter eas intercedere vinculum. Verumtamen auctor sibi hac in re constat: multam enim in superioribus operam in eo posuit ut demonstraret, ex hominum naturali paritate necesse esse ut in societate civili etiam omnes prorsus eiusdem sint iuris conditio- nisque. At quid opus est dicere, theoriam istam quae PAULI inprimis temporibus invaluit stultam esse atque inanem. Quae enim unquam fuit societas hominum in qua omnes prorsus eiusdem fuerint iuris et conditionis? verum sicuti singuli cives diversi sunt iuris, diversae sunt conditionis aut ratione virium quas ipsa illis dedit natura, aut ratione loci et positionis quam quisque in civitate occupat, ita et inter gentes, licet omnes in hoc conveniant quod individuae sint iuris personae et nulla alius

¹⁾ Inter eos qui in patria nostra docte et diserte postea idem hoc de servorum commercio argumento attigerunt, inprimis commemorandi sunt I. T. H. NEDERMEIJER VAN ROSENTHAL, *Diss. Hist. Politica inaug. de servorum Afrorum commercio eoque recte sublato, nec non de Afrorum servitute penitus tollenda* (L. B. 1816), et I. DE NEUVILLE, *Diss. inaug. de iis quae ad tollendum servorum Afrorum commercium inde a congressu Viennensi inter populos gesta sunt*. Amst. 1840.

imperio subiecta sit, magna intercedit differentia quae diversa etiam iura parit. Quod enim aliae civitates ingentem impleant terrae tractum, aliae angustis includantur finibus; quod hae maritimis, illae terrestribus gaudeant viribus: quod huius incolae operam dent commercio, illius agriculturæ; quod aliae ingentibus gaudeant divitiis, aliae minus sint opulentæ, nonne haec et multa alia similia singulis civitatibus diversa parere debeant iura, diversam conditionem? Nec igitur iniquum ducatur quod iis civitatibus quae quoquomodo pollent viribus et potestate tribuantur iura praecedentiae aliique honores ¹⁾. Liberam et nos contendimus esse oportere marium et oceani navigationem, liberam inde etiam mercaturam: nec tamen cum auctore affirmare vellemus, cuique genti *ius* esse in alterius terris fluminibusque commercia agendi; et huic plane illicitum fore alteri impedimentum ferre portoriis vectigalibusque exigendis: obstat enim quod ipse auctor antea scripsit ²⁾ de singulis hominibus, plenum cuique ius esse ubicunque terrarum commorandi et agendi, praeterquam in iis locis qui iam ab aliis iusta possessione occupati sint.

Haec autem de PAULO sufficiant: non magni pretii sunt profecto quae de iure gentium scripsit; attamen mentionem eius scripti faciendam esse duximus quia solus fere inter nostrates iuris gentium theoriam diserte inaedificavit famoso systemati paritatis omnium hominum inter se, quod apud externos auctores, inprimis superiore saeculo exeunte, saepissime invenias.

§ 13. G. DE WAL.

Saeculi superioris fine nec minus huius aevi initio nemo (si unum PETRUM PAULUM excipias) in patria nostra existit ex cuius scriptis editis appareat eum in primariis iuris

¹⁾ Vid. VON KALTENBORN, *Kritik*, p. 263 sqq. „Wie in jeder anderen Rechtsordnung so müssen auch die Völkerrechtlichen Subjecte eine höhere Ordnung über sich anerkennen und sich als Glieder eines diese Ordnung bildenden Ganzen geriren. Dabei ist festzuhalten dass diese Ordnung über der Willkür der einzelnen Staaten steht,“ cet.

²⁾ p. 45.

gentium disciplinae partibus aliquid praestitisse. Neque est, quod causam huius iuris gentium excolendi inertiae longe quaeramus. Neque enim saeculi decimi octavi ultimum decennium, quum rebus novis moliendis permulti per totam Europam studerent, in patria nostra quietum ac tranquillam fuit: neque miseris annis insequentibus quum Belgii Foederati nomen ex Europaeorum civitatum serie sublatum erat, et maiores nostri gemebant sub ferreo brachio tyranni, qui Gallorum imperium usurpaverat: neque primo tempore post gloriosam libertatis recuperationem anno 1813, et civitatem in novam formam redactam, aliter fieri poterat, quin omnium animi se converterent aut ad intestinas discordias, aut ad remedia quibus illas sanarent, aut ad ius publicum, quod in novo rerum ordine valeret¹⁾. Verum simulac res de novo in ordinem satis firmum et stabilem erant redactae, iterum reviviscere coepit apud nostrates iuris gentium studium, quod licet non parem passum tenuerit, quoad illud ius universe spectatum attinet, cum iis, quae eodem tempore apud externos in hoc argumento facta sunt, multa tamen egregia scripta peperit de specialibus nonnullis nostrae disciplinae partibus. — Attamen nondum in eo sumus ut de his inquiramus: in ultima huius sectionis paragrapho nobis restat ut dispiciamus de eo, qui hoc nostro saeculo latius de universo iure gentium disseruit, nimirum GABINUS DE WAL. Prodiit nempe anno 1835 cura viri clarissimi C. STAR NUMAN Prof. Iuris in Acad. Gron. opus eius posthumum cui titulus: *Inleiding tot de wetenschap van het Europeesch Volkenrecht*, quod etiam apud externos famam aliquam nactum est. Videamus quid hisce *Prolegomenis* (nam bene animadvertendum est auctorem non scripsisse *systema* quoddam) contineatur, deinde quid alii de hoc opere dixerint.

Auctor opus tripartito divisit: in primo capite, agit de significatione, nomine, divisione, fontibus, amplexu et utilitate: in altero, de historia: in tertio de historia litteraria iuris gen-

¹⁾ VON KAMPTZ op. laud. p. 20. „Die politische Verhältnisse, worin die Niederlanden sich fast während dieser ganzen Periode befanden, wirkten auch nachtheilig auf die gründliche und fleiszige Ausbildung, welche dieses Recht hier in früherer Zeit erhalten hätte.“

tium disciplinae. Quartum caput de civitatibus Europaeis earumque mutua differentia prioribus adiunxit editor, licet ipse confiteatur, illud in hisce prolegomenis proprie suam sedem non habere, verum referendum esse (quod et auctor in animo facere habuit) ad expositionem quandam ipsius systematis iuris gentium Europaei.

Definitio, quam dat ¹⁾, eadem fere est ac WOLFFII et VATTIELII: iuris gentium nomine intelligitur *scientia iuris*, quo gentes sive populi inter se utuntur; eadem fere dico, quia, ut ipse monet auctor, supervacanea sunt quae WOLFFIUS et VATTIELUS addiderunt: *et obligationum huic iuri respondentium*, quum *iuris* notio illam obligationem iam contineat. Aliorum multorum (SCHMALZII, MARTENSII, HOBBSII, PUFENDORFII cet.) recensitis definitionibus ²⁾, nonnullisque additis de diversa significatione vocabulorum *Populus*, *Gens* et *Natio*, ad ipsum nomen *ius gentium* accedit idque defendit contra nonnullos recentiores scriptores, qui malint usurpare *ius civitatum*, *ius publicum extraneum*, vel similia ³⁾. Quum autem argumenta ab utraque parte allata unicuique nota sunt, non est, quod diu in hisce moremur. Maioris momenti sunt, quae disputat de divisione iuris gentium: naturale vocat, quod doceat quae iura inter gentes valeant a ratione data et a ratione cognoscenda, sive aliis verbis, est *scientia*, quae enumerat leges generales, secundum quas externa cuiusque populi libertas exsistere possit salva ceterorum omnium libertate; positivum, quod indicet iura inter populos ex ipsorum voluntate orta ⁴⁾. Quod ad illud attinet, contendit ius gentium naturale iure dici posse ius privatum populorum, sicut ius naturae est ius privatum singulorum hominum ⁵⁾, atque igitur non esse referendum ad *hypotheticum* sed ad *absolutum* ius naturae: apud GROTIUM vero, hanc iuris gentium partem latere sub universi iuris na-

¹⁾ p. 2.

²⁾ p. 2—4.

³⁾ p. 4—13.

⁴⁾ Minus recte dicit: »Natuurlijk Volkenregt is de wetenschap, welke,» cet. Quomodo *ius* idem esse potest ac *scientia iuris*? p. 13 et 14.

⁵⁾ Vid. DEN TEX, *Encyclop. Iur.* § 129.

turalis nomine illumque *ius gentium* tantum appellare videri quod nos eius partem positivam vocamus¹⁾.

Deinde refutat adversarios: eos, qui nullum omnino ius esse docentes nisi quod comprobetur communi gentium opinione²⁾, etiam iuris naturae praecepta inter gentes non valere contendunt nisi in ea consentiant populi, relegat ad opus suum de iure naturae³⁾: iis qui illud negant, quia gentes infirmiores saepe vi et armis coguntur ut se submittant validioribus, respondet hominum iniurias summum ius delere non posse: iis denique, qui obiiciant nequaquam inter gentes ne de primariis quidem iuris naturae principiis constare (v. c. an praescriptio pariat ius inter populos) respondet idem fere locum habere in unaquaque disciplina, atque illam obiectionem de praescriptione a MOSERO⁴⁾ allatam nullius pretii esse quia temporis lapsus, ut iam indicavit GROTIUS, per se nullum ius constituat, verum ut ita fiat, requiratur hominum consensus. Tandem iuris gentium naturalis existentiam etiam ex eo confirmari putat, quod ipsi civitatum summi imperantes illud agnoscant⁵⁾. Ius gentium positivum inde explicat, quod sicut ius naturae non sufficit inter homines igiturque inter eos alio iure opus est nempe

¹⁾ p. 15, 16. Quid de GROTII doctrina statuendum sit iam tam saepe diximus ut hic non opus esse arbitremur indicare auctorem nostrum hac in re errare.

²⁾ WARNKÖNIG, *doctrina iuris Philosophici*, § 145.

³⁾ Vid. supra p. 42.

⁴⁾ *Versuch des neuesten Europäischen Völkerrechts*. Tom. I, § 3.

⁵⁾ p. 18—27. Quod ad ultimum hocce argumentum attinet, affert exemplum petitum ex nota quadam conferentiae Londinensis dd. 4 Jan. 1832, (non 24 Dec. 1831, ut dixit e. DE WAL, p. 27.) *Staatscourant* 1832, N^o. 32. Bijv. p. 1. »Ce paragraphe laisse aux puissances un droit, qu'il ne pouvait même leur refuser: le droit de se concerter sur les propositions, que l'intervention réclamerait de leur part. Incontestable par son principe et sa nature, ce droit acquiert une force nouvelle", etc. Atque ibid. p. 6, quem locum transcripsimus infra (p. 74). Aliud eiusdemmodi exemplum contulit DE WAL p. 72: nempe quod conscriptum est Aquisgranensibus a legatis potestatum maiorum (15 Nov. 1816): »les Souverains ont regardé comme base fondamentale de cette union auguste de ne jamais s'écarter de l'observation la plus stricte des principes du droit des gens."

civili, ita inter gentes quoque aliter fieri non possit quin multa sint de quibus aut ius naturale plane taceat, aut aequae in utramque partem disputari sinat, aut in quibus populorum commoda postulent ut stricto iuri derogetur: quae omnia idoneis illustrat exemplis ¹⁾. Quod ad nomen *positivum* attinet, concedit id aequae recte dici posse *historicum* aut *arbitrarium* aut *practicum* ²⁾. Ius gentium naturale dividit, multorum quos enumerat iuris naturae scriptorum secutus sententias, in *absolutum* sive *originarium* et *hypotheticum* sive *acquisitum*: ad primum refert iura, quae cuique civitati competunt eo ipso, quod civitas est: ad alterum iura quae non nasci possunt nisi facto quodam praecedente, v. c. iura possessionem capiendi, acquisitionis, foederis: non autem, sicut fecit PÖLITZ ³⁾, iura crediti, legationum assiduarum, et territorii ⁴⁾.

Graviorem deinceps attingit quaestionem, num cum KANTIO aliisque statuendum sit praeter ius gentium aliud insuper esse ius, quod dicatur *cosmopoliticum*, sive aliis verbis, utrum ius, quod homini ex sua ipsius natura tamquam terrae incolae competit erga civitatem, pertineat ad ius gentium an proprio nomine ab eo sit distinguendum. Cui quaestioni sic recte respondet, omnia ea iura partim referenda esse ad ius gentium (v. c. iura, quae Principi competunt in alieni principis territorio, iura exsulum, transfugarum, cetera; quia in his non spectantur singuli homines, sed rationes, quae inter eos ipsorumque civitatem intercedunt), partim ad ius privatum sicut iura peregrinantium, naufragorum, peregrinorum, creditorum aliaque, quae magis spectant ius civile ⁵⁾. Ius gentium positivum secundum eum partim oritur ex gentium voluntate expressa, partim ex eadem voluntate tacite sive usu et consuetudine significata, aut, quod eodem redit, distinguendum est in ius scriptum et non

¹⁾ p. 27—31.

²⁾ p. 32, 33.

³⁾ *Die Staatswissenschaften im Lichte unserer Zeit*. ed. 2^a. (Leipzig 1827.) Tom V. p. 131.

⁴⁾ p. 35.

⁵⁾ p. 37—41. Cf. VON KALTENBORN, *Kritik d. V.* p. 262.

scriptum. Illud dicitur ius pacticium neque alias obligare gentes potest, quam illas, quae ad foedus ineundum coiërunt: multa tamen adsunt exempla, etiam alias civitates postea foederibus iam initis adscivisse ¹⁾).

Permultos totum ius gentium positivum negasse nobis iam ita notum est, ut auctorem in horum argumentationibus referendis et refutandis non simus secuturi. Multus est in refutandis scriptis ENTRUPII et ROTGERSII ²⁾ nec tamen novi aliquid profert ³⁾: acute vero et egregie probat discrimen, quod illi statuunt inter pactum et ius ⁴⁾ nullius esse pretii, pacta enim aequales, qui in ea consenserunt eodem modo obligare ac leges a summo Imperante datae subditos ⁵⁾. Deinde de usu deque modo usum probandi plura monet haud spernenda ⁶⁾).

Sequenti paragrapho tractat *ius gentium voluntarium*, et recenset WOLFFII, VATTELI, aliorumque sententias. Mirum in modum tamen totum hoc argumentum turbat, atque haec paragraphus egregium praebet exemplum illius quod mox sumus exposituri, totum hocce opus viri cl. DE WAL luculenta secum circumferre indicia auctorem opus non absolvisse certe non correxisse. Ipsa verba belgica inseramus, ut iam appareat quid velimus: „Bij het natuurlijk volkenregt, dat òf door overeenkomst òf door gebruik is ingevoerd voegen anderen eene vierde soort, namelijk het vrijwillige of *ius gentium voluntarium* ⁷⁾.” Vix autem opus erit monere falsissimum esse ius gentium naturale nasci ex conventionem aut usu, neque magis verum esse unquam aliquem tria genera distinxisse iisque etiam quartum addidisse: quibus enim sermo est de iure voluntario ⁸⁾ hi ita rem distinguunt: esse ius

¹⁾ p. 41—43.

²⁾ Vid. supra p. 44 sqq.

³⁾ p. 43 seq.

⁴⁾ Sicut ROTGERS op. l. p. 22.

⁵⁾ p. 49 sqq.

⁶⁾ p. 53 sqq.

⁷⁾ p. 57.

⁸⁾ v. c. DE VATEL, *Droit des Gens*. p. 9, 10.

gentium *naturale* sive *necessarium*: esse deinde ius gentium *positivum* ex tribus fontibus cognoscendum, voluntate, pactis, usu. Non minus errat cum ex nomine eo *voluntario*, quod apud GROTIUM occurrit, conficit hunc eandem sequi divisionem, quum illud vocabulum longe aliud quid apud eum significet: contra tamen vera sunt, quibus docet GROTIUM non somniasse de WOLFFII civitate maxima nec de iure gentium voluntario ex huius civitatis natura derivato. Quum in fine dicit: „wij maken uit dit alles als slotsom op, dat er geen vrijwillig volkenregt bestaat ¹⁾,” libenter illi assentimur si hoc sibi vult: ius gentium voluntarium non distinguendum esse a pacto et consuetudinario, quia neutrum cogitari potest nisi constet de gentium voluntate, quod tamen etiam ita dicendum ei fuisset.

Praetereamus quae agit de aliis insuper iuris gentium divisionibus, et paucis videamus quid statuat de iure gentium Europaeo, quod ille primus omnium nostratum descripsit ²⁾. Primum iis, qui illud existere negant, concedit nullum esse codicem leges continentem, quae in mutuis civitatum commerciis valeant ³⁾: nullum esse legislatorem supremum: decreta conciliorum, conventiones initas Osnaburgi, Ultraaiekti, Viennae, Aquisgranensibus aut alibi nullam generalem legem constituere, quae *omnes* sine ulla exceptione teneat: ne *Sanctum* quidem *Foedus* (26 Oct. 1815) ⁴⁾ inter Austriam, Russiam et Borussiae pactum cui omnes Europae summi imperantes accessere, praeter Angliam, et Americae civitates unitas, quae ceteroquin participes sunt iuris gentium Europaei ⁵⁾. Attamen licet haec

¹⁾ p. 62.

²⁾ p. 66. sqq.

³⁾ De WOLFFII aliorumque conaminibus condendi codicem iuris gentium universalis egit DEN TEX op. I. § 132.

⁴⁾ Quod extat apud MARTENS *supplément au recueil des Traités*, Tom. VI. p. 656 sqq. Recte monet DE WAL hoc foedus turpissime violatum esse, quum Europae civitatis Belgis insurgentibus (1831) auxilium tulerunt.

⁵⁾ Cf. MARTENS, *Précis du droit des Gens*. § 7, et eiusdem *Recueil des Traités* VI. p. 178 et IV. p. 196, 197.

omnia vera sint, verum etiam manet, quod dixit F. F. L. PESTEL: «Praeter iuris societatem, qua cunctos populos teneri diximus, esse aliud ius gentium ab harum voluntate profectum permulti negant viri eruditissimi, affirmant populi Europaei eoque utuntur¹⁾.” Et modum quo id probetur optime indicat DE WAL²⁾. Foedera enim inter Europaeas gentes icta tam similia sunt inter se ut ex eorum comparatione appareat multa eodem modo in omnibus illis pactis esse constituta. Neque aliud quid dicendum est de multis, quae usu invaluerunt inter civitates, quae mutuam iniere commercium; deinde consuetudines inter maiores Europae civitates observatas plerumque imitantur gentes minores. Denique ipsae illae civitates, saepissime provocant ad ius consuetudinarium inter populos moratiores receptum. Insuper hoc animadvertatur, easdem res eodem modo inter alias gentes constitutas esse pactis et conventionibus, inter alias usu et consuetudine. Ceteroquin tamen non praetervidendum omnia haec, quae constituuntur pactis, usu, consuetudine, congrua esse debere cum summis principiis iuris gentium naturalis.

Auctorem nostrum non sequemur quum copiose disputat de origine³⁾ nominis iuris gentium Europaei, quum inquit an nomen illud aptum sit et disserit de fontibus unde derivatur⁴⁾: hoc inprimis iam sat saepe exposuit, ita ut vix causa esse videatur cur ea hoc loco repetat; verbo potius videamus de alia quaestione: nempe ex quo fonte primum sit hauriendum ubi agitur quid iuris sit ex iure gentium in aliquo argumento. Respondet DE WAL primum dispiciendum esse quid foederibus sit statutum⁵⁾: deinde quid usu inter gentes convenerit: deni-

1) Diss. laud. p. 2. Cf. DEN TEX, op. l. § 131.

2) p. 69 sqq.

3) p. 74—80.

4) p. 81—97.

5) Cf. *Staatscourant* 1832, n^o. 32. Bijv. p. 6. » D'abord en ce qui concerne les principes du Droit des Gens, le Gouvernement Neerlandais n'ignore pas que le droit des gens général est subordonné au droit des gens conventionnel, et que quand une matière est réglée par des conventions, c'est uniquement par ces conventions, qu'elle doit être jugée”, cet.

que quid ex analogia deduci possit. Quae omnia si deficient, recurrendum esse ad ius gentium naturale, originarium sive necessarium, ad quod saepissime provocatum est in gentium pactionibus ¹⁾). Libenter ei in hisce assentimur, ut iam apparuit ex iis, quae de eadem re diximus ubi eandem fere BYNKERSHOEKII retulimus sententiam: attamen si foedus aut usus aliquid statuisset, quod plane everteret summi iuris principia, discernendum esse putarem secundum decreta iuris naturae, quae hominum placitis abrogari nequaquam possunt ²⁾).

Quod ad ius gentium futurum attinet, copiose hac de re egit DE WAL non tantum in hisce Prolegomenis ³⁾), sed etiam in Diss. inaugurali: *de coniunctione populorum ad pacem perpetuam*, Gron. 1808. In utroque opere, imprimis in dissertatione, multus est in exponendis virorum doctorum de hoc argumento sententiis et consiliis. Quid vero auctor ipse de quaestione proposita sibi persuasum habeat, exponit tantum in duodecim ultimis paginis, quae pro maiore parte aliorum scriptorum verba continent. Praemonitis nonnullis de hominum statu naturali, de civitate, de populorum conditione ab ea, quae hominum erat ante initam civitatem non admodum diversa, capite primo agit de rationibus, quibus civitates variis temporibus usae sunt ad acquirendam iuris securitatem, arbitris electis, societatibus cum potentioribus initis, coniunctionibus cum aequalibus factis, cett: „quum autem omnium populorum hac in re eadem sit conditio, eadem indigentia” monet „homines varios acutissimi ingenii saepius suas sententias proposuisse, an non inter plures populos dari posset et aliquando dari deberet arcetior consociatio ad mutuam securitatem ⁴⁾.” Quorum in sententiis describendis initium facit ab HENRICO IV ibique etiam exponit quid praecipui politici de illius eiusque ministri SULLY conatibus scripserint. Capite III transit ad GROTIUM eiusque mentem tradit tum ex ipsius sententia tum ex iis, quae GROTH lauda-

¹⁾ p. 92—99.

²⁾ BILDERDIJK, *Pestel*. p. 31.

³⁾ p. 99—114.

⁴⁾ Diss. laud. p. 22, 23.



tor H. C. CRAS de hoc loco disseruerit ¹⁾). Sequuntur (cap. IV). ABBAS DE ST. PIERRE et I. I. ROSSAVIUS, quorum uterque iudicium tulit de HENRICI IV consilii et sua vice nova proposuit: deinde ad Germaniae scriptores se convertit, ad VON LILIENFELS, KANT ²⁾), FICHTE, SCHWAB, aliosque (cap. V—VII). Tandem quaestionem proponit: „ Num coniunctio populorum ad pacem perpetuam locum aliquando sit habitura ³⁾? Profecto, ipse respondet, quin aliquando sit ineunda non est quod dubitemus ⁴⁾), licet non diffidendum talem populorum civitatem egregiis obnoxiam esse incommodis ⁵⁾.” Postea vero hocce effatum revocavit, et confessus est se errasse: inprimis quia etiamsi eiusmodi societas iniretur nihil tamen superesset, quo discidia inter diversas civitates exorta diiudicare possent nisi bello; forum enim universum, de quo tot viri docti somniarunt, si constitueretur, quomodo quis cogereetur ut eius iudicia summa observantia coleret nisi vi et armis? Egregia sunt etiam plura quibus priorem suam opinionem ipse refellit ⁶⁾). — Atque sic iam ultro revertimus ad eius Prolegomena ubi totum illud argumentum copiose tractat ⁷⁾). Duos ibi dicit esse modos ex quibus multi contendunt pacem perpetuam inter gentes nasci posse. Primum est unum ingens imperium totius orbis terrarum, cui omnes civitates subiicerentur, quod una tantum lege regeretur. Sed non difficile probatu est, sicuti auctor noster etiam recte probavit, hinc oriundam esse immanem tyrannidem summi imperantis cui subiecti numquam se subiicerent aut perpetuum discidium illius magnae universitatis ⁸⁾). Alterum est supra

¹⁾ Grot. *de I. B. et P.* II. 23 § 8 N°. 4; CRAS, *Laud. Hug. Grot.* p. 75, sqq.

²⁾ KANTII iuris notionem plurimi fecisse DE WAL monet VON MOHL op. I. p. 235.

³⁾ p. 116 sqq.

⁴⁾ p. 118.

⁵⁾ p. 120.

⁶⁾ *Inleiding*, cet. p. 111—113. cf. et ENTRUP. op. I. § 35.

⁷⁾ I. I. p. 99—114.

⁸⁾ Aliter videbatur cons. VAN DER MARCK exeunte saeculo superiore in Acad. Gron. iuris naturae professori, qui in opusculo vilissimo: *Schetsen*

iam laudata coniunctio populorum ad pacem perpetuam, quam coniunctionem iamiam futuram non esse quum diximus, restat ut videamus possitne fieri. Fieri autem posse probat ex eo, quod multi, quos iam enumeravit in dissertatione, quos iterum enumerat hoc loco additis iis, qui priore nostri saeculi parte hanc rem attigere, de ea non dubitaverint. Inter hos enumerat duos nostratium GROTIUM et G. C. VAN HOGENDORP ¹⁾. Quodnam GROTII effatum spectet indicat in Dissertatione ²⁾, verum GROTIUS eo loco non dicit talem populorum conventum locum habere posse, sed tantum contendit *id utile fore et quodammodo factu necessarium*. Quemnam HOGENDORPII locum ante oculos habuerit non patet, verum coniiicere licet eum voluisse quae leguntur in illius: *Bijdragen tot de Huishouding van Staat*. Tom. I. p. 241 sqq. Verum est HOGENDORPIUM ibi scripsisse — scripsit haec autem anno 1817 — non sine aliquo iure exspectari posse pacem, qua tunc populi fruebantur, si non perpetuam, certe valde diuturnam fore, eamque fortasse aliquando perpetuam futuram. At idem ille antequam diem obiit iam videre potuit spem illam fuisse inanem et verissima esse, quae eodem loco conscripsit, agens de calamitatibus etiam in re pecuniaria per bellum illatis: „mogelijk echter

over de Rechten van den Mensch, het algemeen Kerk- en Staats- en Volkenregt, alsmede Tafereel van deelen, afdeelingen en hoofdstukken tot een algemeen Bataafsch wetboek. Gron. 1798. (haec omnia 314 pp. 8°. magnis typis expressa sunt!) 30 tantum ultimis pagellis pertractasse ius gentium sibi visus est. In operis fine de pace perpetua haec legenda sunt: »Een goed plan tot een eeuwigdurende vrede moet een meesterstuk van ware staatkunde opleveren: en zulks tot stand te brengen, daartoe is mogelijk door de overal zegepralende wapenen onzer Fransche broederen en edelmoedige (!!) Geallieerden, tegenwoordig de beste tijd tot heil van 't menschedom voorhanden, waartoe het albesturend Opperwezen zijne rijke zegeningen verleene.”!! Profecto nulla indigebimus excusatione, quod istum virum non retulerimus inter eos qui iuris gentium peritiam insignes fuere. Ceteroquin exstat etiam ab eodem conscripta *Diss. iuris nat. et gent. indicans solida systematis de I. B. et P. Grotiani fundamenta*. (Lingen 1777) cuius tamen copia nobis facta non est.

¹⁾ p. 101.

²⁾ Vid. supra. p. 76.

zijn de vorsten en volken nog niet wijs genoeg geworden door de ondervinding 1).” Testimonia igitur laudata non multum faciunt ad rem, deinde quid affert utilitatis multis verbis inquirere an aliquid fieri possit de quo iam conclamatum est 2). — Et hisce finem imponimus conspectui primi capituli „Prolegomenorum” nam post omnia, quae iam egimus, nunc de utilitate iuris gentium disquirere, nauseam moveret: tuto etiam auctor noster hoc ommittere potuisset. De reliquis capitibus breviores erimus.

Historia iuris gentium optima certe pars est huius operis: rem repetit a prima gentium origine: initium facit a Graecis: pergit ad Romanos, quorum ius fetiale in primis attingit, recte docens quod illi ius gentium vocabant longe aliud quid esse: exponit ius gentium medii aevi, luculenter indicat studium iuris gentium eo tempore quod vix aliter fieri potuit, torpere, quippe omnibus civitatibus Europaeis subiectis auctoritati Papae et Imperatoris; inde a reformatione vero, bellis inde ortis, novam huius disciplinae epocham esse natam, novum iuris gentium systema inter civitates Europaeas esse constitutum, quod confirmavit pax Westphalica. Deinde tradita historia iuris gentium usque ad nostra tempora, conspectum addit eorum, quae in hac materie acta sunt. Ingentem copiam affert scriptorum, verum in tanta virorum doctorum serie vix ullam facit mentionem eorum, qui in patria nostra huius iuris gentium peritia insignes fuerunt, ita ut ne BYNKERSHOEKIUM quidem commemoret 3). Multo minoris

1) Quid nostris temporibus de hocce argumenta dicendum sit operae pretium est videre apud clar. BOSSCHA in ipso fine illustris operis: »*Neerlands heldendaden te land:*» »Het tijdstip waarop de schrijver van dit werk de pen nederlegt, valt in dagen welke bewijzen, dat de verwachting van een' duurzamen vrede in Europa eene begoocheling was, gelijk twee eeuwen vroeger, na het sluiten van den Munsterschen vrede dezelfde verwachting, door velen ook toen gekoesterd, gebleken is eene begoocheling geweest te zijn.» (III, p. 784).

2) De variis pacis perpetuae systematis operae pretium est etiam conferre quae scripsit WHEATON, *Hist. du droit des Gens* I. p. 317—333, et 393—403, et II. p. 385—389.

3) Nisi semel (p. 188) ubi eius iudicium refert de ZOUCHEARI scriptis.

pretii est, quam tertio capite tradit *historiam litterariam iuris gentium*: quam vero post ea, quae iam priore capite conscripserat, pro magna parte tuto potuerat omittere.

Caput IV, quod, ut iam monuimus, auctore STAB NUMAN viro cl., fragmentum est systematis cuiusdam iuris gentium Europaei, agit de civitatibus Europae, quae sui iuris sunt deque earum diversitate. Primum quaerit quae civitates sui iuris dici possint; qua in re spectat colonias ac civitates inaequalibus foederibus coniunctas sive feudi, sive tributi, sive patrocini¹⁾. Verum infra plura hac de re nobis dicenda erunt, ubi agemus de dissertatione cons. F. E. BERG *de foederibus patrociniis*, quam etiam in hoc argumento saepe laudavit DE WAL. — Deinde multa conscribit de provinciis, quae contra summum Imperantem arma susceperunt²⁾, et hac opportunitate copiose exponit quomodo ius gentium a magnis Europae potestatibus in Belgica insurrectione tractanda turpissime violatum sit; verum quaerere licet an magnum quod et hic et alibi huic quaestioni spatium concedat auctor, nonne probet opus hocce nimis secum circumferre indicia temporis, quo conscriptum sit, vel potius lectiones hasce non eo modo typis fuisse destinatas? Sequenti paragrapho (de Europae civitatibus ratione iuris gentium) indicat diversos modos, quibus illae distingui possint, ratione nempe habita: *situs, ordinis, bellicarum virium*, (land-en zee-mogendheden,) *religionis, regiminis formae*. Denique statistice enumerat omnes Europae civitates liberas et semi-liberas³⁾, quibus adiungit conspectum civitatum Americac.

Satis iam profecto superque tempus est ut finem imponamus huius operis materiae expositioni: si in eo exponendo longiores fuimus, excusatio sit, quod hocce opus unicum huius generis est, quod in patria nostra prodierit, quum exteri compluribus et (ut dici oportet) multo melioribus huiusmodi operibus

¹⁾ p. 221—230.

²⁾ p. 232—246.

³⁾ *Semi-liberas*; melius nisi fallor sic latine redditur, quod gallice audit *états mi-souverains*, quam quod HOFFMANN, *Diss. de gent. pact. et foed.* (op. l.) p. 27, 39 cet. aliique scripsere *civitates subordinatas*; hoc autem ne latinum quidem est. Pro nobis faciunt, v. c. CIC. *Ep. ad. Att.* XIII. 31, SEN. *de Brev. Vitae*, c. 5 in fine.

gloriari possint. Vel sic tamen etiam apud extraneos DE WAL famam nactus est: licet plerique qui huius operis mentionem fecerint, satis iniqui erga actorem fuerint: cuius rei v. c. testis sit iudicium, quod de eo nuperrime tulit R. VON MOHL ¹⁾). Auctorem virum doctissimum vocat, verum arbitratur eum utiliorem laborem suscipere potuisse, quam hancce Prolegomenorum conscriptionem: etenim novi quid aut bene elaborati ibi non inveniri, neque philosophica neque historica ratione, atque, licet sine gravi iniuria negari nequeat auctorem valde accurate intelligi posse, neque eum ingentem scriptorum numerum pertractasse, frustra tamen quaeri consilium et utilitatem eius libri: quod ad historiam quam dedit litterariam attinet, eam nemini ullo modo satisfacere posse, nisi forte illi cui opus est brevissimo conspectu. Haec autem etiamsi negare non possimus pro magna parte veriora esse, tamen nimis dura sunt: VON MOHL enim praetervidit huius operis naturam et indolem. Ex praefatione scilicet, quam operi praefixit editor, apparet hunc librum nihil aliud esse quam lectiones, quas auctor habuit de iure gentium in Academia Groningana, atque ab editore etiam editum

¹⁾ *Die Gesch. und Literatur der Staatswissenschaften in unserer Zeit.* Tom. I. Erlangen. 1855. p. 235. »der gründlich gelehrte DE WAL.« p. 370. »Die Literargeschichtliche Arbeit von dem Hollander DE WAL ist weder dem Umfange noch hinsichtlich der Tiefe irgend genügend. Sie mag zur ersten Zurechtfindung für Anfänger dienen, allein sie giebt keineswegs ein vollständiges Bild der Entwicklung, und des Bestandes der Völkerrechts-Litteratur. Ihre Abfassung in einer wenig verbreiteten Sprache ist natürlich ein weiterer Nachtheil (!)« p. 377. »Deshalb hätte denn in der That SABINUS (sic) DE WAL eine nützlichere Arbeit wählen können als seine Einleitung in das Völkerrecht. Er giebt vier nicht wesentlich zusammengehörige Abhandlungen. Etwas Tiefes und Eigenthümliches, sei es nun in der Geschichtlichen Auffassung, ist nirgends zu finden und wenn auch Verständlichkeit und reiche Belesenheit ohne Unbilligkeit nicht verkannt werden können, so sieht man sich doch vergebens nach einen tüftigen Zwecke und augenfälligen Nützen des Buches um.« Cf. et VON KALTENBORN, *Kritik des Völkerrechts.* p. 127. Verum hic tantum hausisse videtur ex ipso VON MOHL, qui nempe *monographias* quibus constat opus eius laud. iam edidit in *Tübinger Zeitschrift für Staatswissenschaft* 1846, sqq. (vid. VON KALTENBORN, p. 103.)

esse eo consilio ut alibi quoque esset manuale scholas de eiusdem iuris disciplinae parte habendi. Praeterea auctor hocce opus nondum typis mandaverat: ne ab omni parte quidem absolverat, cuius rei indicia afferre non difficile est ¹⁾).

Attamen quamquam is, qui exterorum de iure gentium scripta terere solitus est, non multum ex hoc opere discet, non plane displicebit ei, qui primum hoc argumentum attingit: atque et hic et ille mirabuntur ingentem, quem ubique laudat scriptorum numerum et modum quo omnium ubicunque affert ponderatque sententias ²⁾). Quum hoc igitur unicum sit opus huius generis, quod in patria nostra in lucem prodierit, ne illud spernamus; ultima imprimis pars multa continet, quae scire nostra omnium hoc praesertim tempore permultum interest. Finem ergo imponamus ét huius viri clarissimi ét omnium qui hac sectione recensentur de iure gentium universe meritorum sicuti ex scriptis patent expositioni, verbis viri clarissimi STAR NUMAN ³⁾): „Moge dit geschrift medewerken om den zin voor de beoefening eener *Nederlandsche* wetenschap in den *Nederlandschen* geest te verlevendigen!”

¹⁾ Praeter exemplum supra iam laudatum duo hic memorasse sufficiat, quae auctor fortasse in margine manuscripti annotavit, certe non typis destinavit: p. 3. »De uitdrukking van SCHWALZ, *juridisch-regt* is een pleonasmus, en behoort dus gerangschikt te worden nevens die van een' *ronden cirkel*, een' *zwarten moor* en dergelijke!” et p. 9. »Opmerkelijk is het, dat het woord *Natio* reeds bij de Romeinen dikwijls eene beteekenis van kleinachting en versmading had. Bij ons heeft iets dergelijks plaats, wanneer men van een' Israëliet met kleinachting en spottende zegt: »hij behoort tot de *Natie!*” — Deinde, praeterquam quod auctor saepissime verbosus est, nonnumquam repetita invenies, quae iam in superioribus enuntiata erant.

²⁾ Melius inter exteros scriptores auctoris consilii rationem habuit FINHEIRO FERREIRA in brevi huius operis recensione in *Revue étrangère et française de législation, publiée par FORLIX*. Tom. IV. (1837). p. 710, 711.

³⁾ Praef. p. VI. Postquam superiora conscripseram in manus venit brevis huius operis recensio in *Bijdragen tot Rechtsgeleerdheid en Wetgeving*, door Mrs. DEN TEX en VAN HALL. X. p. 307—310. Gaudeo me ab huius anonymi (?) auctoris iudicio non magnopere dissentire.

SECTIO II.

DE SINGULIS IURIS GENTIUM PARTIBUS PRIMARIIS.

CAPUT I.

DE IURE FOEDERUM DEQUE FOEDERUM COLLECTIONIBUS.

Quum priore sectione saepissime vidimus inter fontes, e quibus ius gentium hauriendum sit, praecipuum locum obtinere foedera, vix opus erit rationes reddere cur in exponendo, quid in primariis iuris gentium partibus nostrates praestiterint, primum locum tribuamus iuri foederum, quorum sancta observatio basis est totius fere iuris gentium disciplinae. Veruntamen, antequam de hoc ipso iure agamus, non inutile erit dispicere quid nostrates egerint in foederibus colligendis aut in eorum argumentis indicandis. Non enim multum aget qui exponat quid foederibus sancitum sit, quid gentium expresso consensu et enunciata voluntate in illis valeat, nisi admoneatur, ubi ea reperiuntur. Atque ab illo populo qui propter iuris gentium peritiam nobilem inter gentes sedem occupat: "qui immixtus fuit in omnibus fere quae olim in Europa alicuius momenti gesta vel tractata reperias ¹⁾, in cuius terra inde a pace Westphalica per spatium quinquaginta et quod excurrit annorum quaevis pax inter gentes paullo illustrior fuit composita (pax Bredana, Neomagensis, Rysvicensis, Rheno-Traiectina, cett.) ²⁾,"

¹⁾ KLUIT, *Historia Foederum*. I. p. VII.

²⁾ H. M. HOFFMANN, *Diss. de gentium pactionibus atque foederibus*, (Traj. 1824) p. 2. Egregiam hancce dissertationem laudat quoque R. VON MOHL, op. l. p. 434: Diese Academische Abhandlung umfasst zwar die ganze Lehre von den Verträgen und erörtert die einzelnen grossen Fragen." Quum vero adiiicit maiorem partem exemplorum ex veteri historia esse petitam, fere eo adduceret, ut dicerem eum dissertationem non inspexisse. Foedera enim recentioris aetatis ubique esse allata unicuique patebit, qui etiam obiter modo specimen hocce percurrerit.

ab illo, inquam, populo iure expectari potest, sedulo eum collegisse pacta et foedera quorum cognitione carere non potest, neque qui incumbit iuris gentium studio, neque inprimis qui totum se vovet prudentiae politicae ¹).

§ 1. *De Foederum collectionibus deque foederum historia.*

Quum nobis id incumbit ut ostendamus quid viri docti in patria nostra *in iure gentium excolendo* praestiterint, nemo aegre feret quod in horum virorum doctorum seriem non retulerimus eos qui, licet optime de nostra disciplina meriti sint, foederibus sedulo colligendis, iisque collectionibus publici iuris faciendis, dici tamen non possint aliquid in ipso iure gentium praestitisse. Idem nempe in hac valet ac in aliis disciplinis, qui v. c. leges civiles colligit easque typis mandari curat nunquam eam ob causam inter iuris peritos recensebitur: aliud tamen est, si legibus illis eruditae addiderit annotationes aut si eorum argumenta historiamque docte exposuerit. Eandem igitur secuti rationem KLUITIO nostro in hac commentatione locum non daremus si nil aliud edidisset quam *Indicem suum chronologicum foederum*, cett.; nunc autem quum in illorum foederum ratione et historia accurate tradendis multa attigit quae egregie faciunt ad ius gentium cognoscendum, eum in nostra serie praeterire nefas esset. Nec tamen a nostro proposito prorsus alienum ducetur si verbo commemoramus praecipuas foederum collectiones, quae curantibus sive ipsis nostratibus sive aliis peregrinis in patria nostra in lucem prodierunt. Ac primum profecto locum inter illas obtinet DUMONTII opus quod vocatur *Corps diplomatique*, ad quod omnes solent provocare et iuris gentium et historiae universalis scriptores (Amst. et Hag. Com. 1726—1731). Octo voluminibus quibus haecce collectio constat postea quinque insuper addita sunt tamquam *supplementum* (1739) cura ROUSSETTI, quod etiam continet BARBEYRACI historiam veterum foederum, de qua mox plura. Verum ingens illud

¹) Cf. VAN DUK, *Répertoire historique et chronologique des Traités conclus par la Hollande depuis 1789 jusqu'à nos jours.* (Utrecht 1846). Discours préliminaire, passim.

opus proprie destinatum erat, ut inserviret secundae editioni alius collectionis, quae iam ipso a^o. 1700 eodem loco prodierat cura librariorum MOETJENS et doctissimi BERNARDI; quum autem DUMONT veteri illi operi ingentem tractatum numerum adiecisset et totum operis ordinem mutasset, placuit novam etiam ei dare formam exteriorem ¹⁾. Nec multo minoris pretii est, quod Amstelodami edidit ROUSSET, *Recueil historique d'Actes, Negotiations, Mémoires et Traités depuis la paix d'Utrecht* (1728—1755, 21 vol. 12^{mo}) ²⁾. Hisce autem alia permulta opera eiusmodi addenda essent nisi longius foret ea hic enumerare; praeterea ab omnibus iuris gentium scriptoribus saepius commemorantur.

Properabimus potius ad ea quae continent foedera inita inter Belgii Foederati moderatores et exterarum civitates. Et quidem quatuor collectiones hic sunt recensendae: prima est ea quae vulgo editoris SCHELTJENS nomine gaudet (1576—1795); deinde nominanda quae cuique nota est: *Het Groot Placaatboek* (1658—1796). Porro multa continentur foedera in collectione quae rebus Admiralitatis consecrata est; denique non praeterendum ingens opus LEONIS AB AITZEMA ³⁾ cui titulus *Saken van Staat en Oorlog*, ut de eius minoribus opusculis taceamus.

¹⁾ Cf. VON OMPEDA § 160—165 (qui sedulo enumerat quid quovis DUMONTII operis volumine contineatur.) G. F. DE MARTENS, » *Discours sur les recueils de traités* » praefixum eius operi » *Supplément au recueil des principaux traités*, Gött. 1802, (p. XIV, XV, XIX, XXX). VAN DIJK, op. I. Discours Préliminaire, et G. DE WAL, *Inleiding*, op. I. p. 206.

²⁾ Cf. VON OMPEDA, § 169, N^o. 9.

³⁾ Diu dubitavi an hunc etiam enumerarem inter iuris gentium peritos, neque nunc, quum eum in eorum seriem non retuli eo ipso contendere vellem, illum eius iuris disciplinae partis imperitum fuisse, optime enim scio AITZEMA praeclare gessisse legationes quas ei mandaverunt apud Ordines Belgii civitates Hanseaticae et urbs Stralsundia. Verum hanc suam doctrinam factis magis quam scriptis probavit: » foedera enim (et in his utor verbis G. DE WAL, *de claris Fris. Ictis* p. 40.) legatorum mandata imperantium litteras et responsa, aliaque similia, operi suo adiecit ut de fide historica illorum quae narravit nulla prorsus dubitatio possit afferri. » Sedes igitur ei et nobilissima quidem concedatur inter historiae patriae scriptores, non inter viros doctos qui *iuris gentium peritia* insignes fuerunt.

Inutilem profecto non fecit operam qui in tanta tractatum collectionum turba viam monstravit (quod ad nostram patriam attinet) ADRIANUS KLUIT in *Indice chronologico foederum* mox iam commemorato, neque qui eum hac in re secutus est Doct. VAN DIJK (in op. laud.) qui tamen antecessorem in eo superat quod plerorumque foederum adscripserit argumenta. — Attamen verisimile est KLUITIUM hoc consulto omisisse quia in *historiae foederum Belgii Foederati primis lineis* (quarum *Indicem* partem tertiam vocat) si non omnia, saltem pleraque pertractaverat. Historiam vero sic divisit, ut *primo* et *secundo* capite contineantur foedera quae spectant partem Reipublicae Foederatae libertatem, *tertio* quae inita cum gentibus Europaeis belli pacisque negotia moderantur, *quarto* foedera commerciorum, *quinto* quae pertinent ad reipublicae possessiones extra Europam; *sexto* attingit controversias cum aliis civitatibus ortas partim de territoriis illis longinquis, partim de ipso navigationis et commercii exercendi iure agitatas: *septimo* varia peculiaria pacta minoris momenti: *octavo* exhibet quae in Belgarum foederibus potissimum observari merentur, quae pertinent nempe ad tranquillam mercatorum navigationem, piscaturam, mercaturam commorationemque: *penultimo* deinde capite agit de solemnibus modo foedera pangendi deque eorum requisitis: *tandem* recenset ea quae pacta sunt de legatis eorumque iuribus ¹⁾. In hisce autem ea tantum adhibebimus quae ad ius gentium pertinent: missis quae spectant historiam diplomaticam aut caerimonias inter gentes receptas. Inprimis igitur diligenter nobis in sequentibus adhibenda erunt tria ultima capita. Doctrinam de libera inter gentes mercatura ex iure gentium naturali, deque finibus quos ei adstrinxit ius gentium Europaeum prae ceteris egregie et copiose exposuit. Nec minoris pretii sunt quae ex gentium usu docet statuenda esse de foederum natura ac modis obligandi, deque legatis eorumque iuribus ac privilegiis: in ultimis hisce plerumque tamen BYNKERSHOEKII vestigia secutus est. Singula autem quae de variis hisce iuris gentium disciplinae partibus egerit in sequentibus suo loco exponemus.

¹⁾ *Hist. foed.* Introd. § 2.

BARBEYRACUM veterum tractatum historiam conscripsisse iam commemoravimus, et operae pretium est in huius operis consilium paullo accuratius inquirere. Auctor enim in praefatione docet ex foederibus a gentibus initis cognoscendam esse earum historiam et indolem, nec minus principia consuetudinesque quae valebant tempore quo illa pacta sunt; foederaque igitur veterum aevorum cognoscere vix minoris esse pretii quam recentiorum temporum. At aliam praeterea eorum cognitionis affert utilitatem: quod nempe in gravi quadam iuris gentium quaestione decernenda multum saepe utilitatis afferre possit scire quid in eiusmodi exemplo antea factum sit, principiis iustitiae et aequitatis modo recte observatis. Auctor igitur diligenter conquisivit omnia pacta alicuius momenti inter gentes conventa inde ab a°. 1496 ante nostrae aerae initium, usque ad pacis foedus quod intercessit inter Carolum Magnum et imperii orientalis imperatorem. Insuper cuius fere foederi adiecit nonnullas annotationes, quae tamen quum plerumque historiam aut auctorum classicorum interpretationem spectant minus ad nostrum propositum pertinent. Hoc igitur opus commemorasse sufficiat: KLUITIUS nobis in via quam nunc ingressuri sumus multo maioris erit utilitatis.

§ 2. *De iure foederum.*

Argumentum de iure foederum unum ex gravissimis esse iuris gentium disciplinae, apud omnes constat. Si promissis stare et pactis fidem praebere regula est iuris naturalis, quae observanda cuius homini sedulo inculcatur, multo magis haec valet inter gentes, quarum pacta non, ut privatorum, tuetur ius civile sed sola bona fides: „hanc enim si tollas, tollis ipsum ius gentium 1).” Omnia fere mala, quae inter gentes locum habuere, omnes fere discordiae, omnia fere bella originem duxisse ex violato sancto iure foederum, historia omnium temporum docet: et

1) BYNKERSHOEK, *Q. I. Publici* II: 10, »de servanda fide pactorum publicorum et au quae eorum exceptiones.” Cf. H. FAGEL, *Diss. de foed. sanctitate*. p. 27.

luculentissime etiam recentioris aevi. Non tamen negandum est multas in hoc argumento ortas esse et adhuc oriri posse difficultates: sicuti enim multi simulantes sibi licere ob hanc illamve causam foedus aliquod frangere, summo tamen iure nomen foedifragorum nacti sunt, sic et saepe optimo iure foederis nulla amplius ratio habita est ab iis, quibus tamen foedifragorum nomen inurebatur. Operae igitur pretium est accurate indagare foederum naturam ac indolem et exceptiones, quae in argumento de eorum sanctitate admittuntur, quaeque aut ex ipsa foederum natura oriuntur aut ex omnium gentium consensu introductae sunt. Quam rem quoque ut doceamur non opus est transgredi patriae fines: Neerlandi, qui tot foedera inierunt aut ineunda curavere, ipsi saepius disseruere *de iure foederum*. Inprimis rem perspicue et praeclare tractavit HENRICUS FAGEL in dissertatione *de foederum sanctitate* (L. B. 1786) cui argumento nonnulla praemisit de diversis foederum generibus. In capite secundo exponit praecepta generalia de foederum sanctitate: deinde transit ad gravissimam quaestionem an liceat civibus, qui nunc sunt, futuros obligare; denique, ultimo capite, docet quousque sanctitas foederum extendatur. Unum nimis leviter attingit argumentum, quod, si non omnino requiritur in disquisitione de sanctitate foederum, tamen optime ei adiungi potest¹⁾: verumtamen auctori egregia erat causa cur illud adeo praeterire posset: pater enim FRANCISCUS FAGEL scripserat viginti septem annis antea *de guarantee foederum*, quae dissertatio, licet filii specimini non prorsus aequiparari possit, multa tamen continet, quae egregie exposita sunt. ULRICUS HUBERUS in penultimo capite librorum *de iure civitatis* disseruit *de foederibus*: rem tamen satis leviter attingit sicut tota eius operis ultima sectio „de civitatis cum exteris rationibus” (uti etiam antea iam monuimus) reliquis non par est: ius publicum enim magis curavit quam ius gentium²⁾. Deinde satis copiose de iure foederum disseruere VITRIARIUS³⁾, HEI-

1) Cf. Diss. I. p. 31.

2) Ipse haecce capita vocat *compendiariam descriptionem*; vid. § 23.

3) *Inst. iuris nat. et gent.* II. 15, 16.

NECCIUS ¹⁾, GRASWINCKEL ²⁾ et NOEST ³⁾, in operibus iam supra laudatis. Hisce igitur ducibus ipsi accedamus ad ius foederum exponendum et videamus quid illi aliique eorum, qui in patria nostra iuris gentium peritia insignes fuerunt, in hac quoque illius disciplinae parte praestiterint ⁴⁾.

„Foedus, inquit HUBERUS ⁵⁾ est *conventio inter diversas civitates non transitoria*, ut ab aliis contractibus distinguatur in quibus nihil post conventionem remanet.” Praeterquam quod hac definitione non enunciatur illos tantum foedus contrahere posse, qui summum habent imperium aut ad foedus ineundum speciale acceperunt mandatum ⁶⁾, verum non est omnes alios contractus praeter foedera esse transitoria. Cogitemus modo pacta inter privatos homines de societate quadam ineunda. Longe melior est foederis definitio, quam dedit H. FAGEL: „pactum a rege vel civitate libera cum alio principe vel republica ad salutem publicam adiuvandam initum ⁷⁾,” quae eodem redit ac ea, quam dedit BERG VAN MIDDELBURG: „Foedus dici potest conventio, quae inter ipsos duarum vel plurium civitatum imperantes iure summi imperii de publicis rebus contrahitur, aut initur ab aliis imperantium iussu ac nomine ⁸⁾.”

¹⁾ *Elementa iuris nat. et gent.* II. § 20 sqq. et *Praelectiones ad Hug. Grot.* II. 15, 16.

²⁾ *Speciale Beschrijvingh van het Gebruyck ofte Daadelycke Bezitting van Opperste Macht*, cett. ('s Gravenhage 1674) Lib. II. cap. VII.

³⁾ *Het Algemeen Staatsrecht*, cett. II. c. 15, 16.

⁴⁾ De foederum iure etiam egit PLOOS VAN AMSTEL, in diss. laud. *de iure commercii*, cett. (de qua infra plura) cap. IV, quo docet „quod ius circa commercia competit genti liberae mediae utrique bellantium vel alterutri eorum foedere coniunctae.” Verum quum quae ibi de foederibus universa scripsit totum fere hausta sunt ex GROTIJ et BYNKERSHOEKIO, de eo hic separatim non referendum esse duximus.

⁵⁾ *De iure civitatis* (Ed. 1698) III. S. IV. c. III. § 1.

⁶⁾ Multis hoc exposuit GRASWINCKEL l. J. — Cf. etiam [VAN GOENS], *Politick vertoog over het waar sistema van de stad van Amsterdam* (1781), p. 284 sqq.

⁷⁾ Diss. laud. p. 2. — Bene haec convenit cum GROTIJ definitione ab ULPIANO derivata, cf. l. 5. ff. *de pactis* (II. 4.) et GROTIJ, *de I. B. ac P.* II. 15. § 1.

⁸⁾ BERG v. M. diss. laud. p. 182. H. M. HOFFMANN, diss. laud. p. 16 sqq.

FAGEL scribit ¹⁾ veteres foederum nomine designasse omnia pacta, quae publica auctoritate cum exteris erant inita, posteriore autem tempore foedus tantummodo dici, quod Galli *alliance* vocant, i. e. societatem quandam interiorem inter gentes contractam ad certum finem in mutua paciscentium utilitate positum consequendum. Deinde vero metuens ne quis foederis voce „pacta a regibus cum privatis vel cum universo populo, sive etiam a civibus inter se ad certam regiminis formam constituendam inita comprehendi existimet” (quod a nullo tamen ex nostra mente, nisi forte insanit, fieri potest) monet sibi foedus idem esse quod olim Romanis, secundum definitionem quam mox iam descripsimus: sic praeter ea, quae iam nominavimus a foedere distinguuntur pacta, quae principes cum aliis principibus de rebus privatis contrahunt, et omnia, quae fiunt in bello, quales sunt induciae, conventiones de permu- tandis captivis, aliaque eiusdem generis plura. Quamquam au- tem haec, quod ad res attinet, recte sese habent, tamen non satis perspicua esse nobis videntur. Videlicet quod Latine dicitur uno vocabulo *foedus*, recentiores duplici modo enunciare solent: Galli v. c. multum distinguunt inter *traité* et *alliance*, nos inter *verdrag* et *verbond* ²⁾. Hoc tamen praetervidit etiam GRASWINCKEL, quum foedus sic definit: „In een Staet die vrij is wert het woordt van *verbondt* genomen voor eene opentlycke, staetsche wijze by den Staet gemaecte en getroffene en be- krachtighde overeenkomste, aanghegaen met sulke dewelcke de macht hebben omme sich uyt haren hoofde in zoodanige ver- bintnisse in te laten, streckende (bij voorbeeld) tot het maecken

¹⁾ l. l.

²⁾ Vid. VAN ASSEN, v. cl. *De taal der Grondwet* (Leyden 1844), p. 66, VREDE, v. cl. *Neerlands vroegere alliantien* (Utrecht 1856) p. 5 et 44. et [P. DE LA COURT] *Aanwijzing der heilsame politieke Gronden en Maximen van de Republieke van Hollandt en West-Friesland* (1669) p. 266: „Een *Vreedens Tractaat* is eene wederzijdige belofte van elkan- deren geen quaad te doen, daar ook de natuur ons toe verplicht: eene *Alliantie* ofte *Verbondt* ter contrarie verplicht tot ietwas te doen dat men sonder Alliantie veeltijds niet doen, ofte tot ietwas te laten dat men sonder Alliantie veeltijds niet laten soude willen.” Cf. DE VATTEL op. l. II. § 152 et PHILLIMORE op. l. II. p. 60.

van een vrede ofte bestandt: die te onderhouden, malkander in oorlogh bij te staen, ofte den anderen eenige gemacken, ende profyten mede te deelen ofte te laten volgen, alles behouden is te wederzijdts het recht van de hoogste macht 1).” Nec multo melius egit NOEST qui *foedus* vertit per *alliantie*. nomine *tractaten* significat *sponsiones* 2).

Foederum genera multa sunt. GROTIUS 3) docuit, (et in hoc omnes post eum consentiunt) „alia foedera idem quod iuris naturalis est sancire, alia iuri naturali aliquid adicere sive obligationes gignere quae a natura non debitae tantummodo ex consensu contrahentium interveniente pacto, vim iuris acquirunt 4).” Prioris generis sunt de non nocendo, de liberis commerciis, de iure hospitum, cett. Quae plerumque ineuntur, ut recte monet HUBERUS, „cum feris nationibus, nam cum bene moratis populis si nihil quam libertatem innoxiam petamus non est magnopere, quod haec foedera desiderentur.” In posterioris generis foederibus derogari potest iuri naturali, dummodo obligationes, quas continent, iuri naturae non repugnent 5).

Notissimam divisionem in realia et personalia vix est quod referamus 6). Quaestionem vero quaenam foedera huc illucve sint ableganda sic egregie dirimit H. FAGEL 7): pro *realibus* habenda foedera regum aequae ac civitatum liberarum nisi manifeste appareat regem in iis ineundis ultra potestatem sibi a populo salutis publicae causa concessam progressum esse: *personalia* autem ubi vel diserte hoc monetur vel res ipsa loquitur principem non publicam salutem, sed sua ipsius

1) GRASWINCKEL, op. l. Lib. II. cap. VII. p. 258.

2) NOEST, op. l. Lib. II. cap. XV.

3) GROTIUS, *de I. B. ac P.* II, 15 § 5.

4) H. FAGEL, l. l. VITRIARIUS l. l. § 7.

5) H. FAGEL, diss. l. p. 3 et 4, ubi exempla affert Gallos pace Ultraiectina prohibitos fuisse, de integro extruere munimenta urbis Duiukerkani, iussosque portum hunc opportunissimum complere. Cf. KLINKHAMER in praecleara dissertatione: „*de bello propter successionem Regni Hispanici gesto, pace Rheno-Traiectina composito*” (Trai. 1829.) p. 153 sqq.

6) HUBER l. l. § 16. Cf. GROTIUS, II. 16. § 16.

7) Diss. l. l. p. 6—10. VITRIARIUS l. l. § 18 sqq. HEINECC. *Proleg.* II. 16. § 16 sqq.

commoda respexisse. — Una in re tamen errare videtur: quum dicat in iis civitatibus ex quibus regis non est arbitrium foederis ineundi sine consensu eorum qui ab ipso populo electi sub ordinum, statuum, procerum regni, aliove nomine regi adsunt, unumquodque foedus a solo rege ictum aut nullam habere vim aut personali regis pacto esse habendum ¹⁾; ultimum hoc admittere non possumus: pactum, quod sine populi consensu a rege ictum est, vitio laborat et igitur per se *nullum* est: neque id, quod initum erat de rebus publicis (et eo nomine tantum eo consensu indigebat) ullo modo referri potest ad res privatas principis. — Quum autem, ut recte idem auctor monet, nostris temporibus mos iste salutaris invaluit ut in ipsis foederum tabulis diserte a paciscentibus declaretur *hoc foedus a se et regnis suis, aut a se et successoribus in perpetuum observatum iri, aut in definitum annorum numerum duraturum*, controversia quaenam foedera sint realia, quaenam personalia ipsis pactorum verbis dirimitur ²⁾.

In foederum divisionibus primaria tamen est, qua dicuntur esse *aequalia* aut *inaequalia* ³⁾: priora vocantur in quibus par est paciscentium conditio: posteriora, in quibus unus e contrahentibus prae alio gravatur: verum hac in re etiam valet illud: *qui bene distinguit bene docet*: inaequalia enim saepe videntur, quae ad alterum genus sunt referenda; v. c. si in societate ad bellum commune gerendum ab utroque *pro viribus*, aut pro ratione, qua singulorum paciscentium interest foedere iungi, pecunia et militum numerus conferuntur, id foedus omnino aequale est ⁴⁾, aequae ac illud quo unus auxilium, alter mercedem stipulatur ⁵⁾.

¹⁾ Ibid. p. 8.

²⁾ Cf. HEFFTER, *das Europ. Völkerrecht.* (op. l.) p. 173. ibique nota.

³⁾ BERG., diss. l. p. 184 et 185; H. FAGEL, diss. l. p. 10, 11; HUBER, l. l. § 3—10. Cf. GROTIUS, *de I. B. et P.* II. 15. § 6 sqq.; VITRIARIOS l. l. § 8, 9; NOEST, l. l. § 6; DE VATTTEL, l. l. § 172 et 174. Accurate, quae foederum inaequalium nomine intelligenda sunt, docuit FLOOS v. AMSTEL, diss. laud. IV. § 2.

⁴⁾ FAGEL, l. l.

⁵⁾ HUBER, l. l. § 9. — Ac melius hoc esse ducimus, quam quod scripsit HEINECCIUS, *Elem.* § 207. et *Proleg.* II. 15. § 7, foedera in aequa-

Et haec iam de foederum divisionibus sufficiant, nam illa quae separatim a cons. FAGEL tractantur: alia scilicet esse foedera de rebus *praeteritis* et *praesentibus* („ea nempe quibus fines reguntur, iura ceduntur, de rebus dubiis transigitur, res venduntur, donantur, permutantur”, quibus vero perperam ab illo auctore addi videntur ea quibus religio et libertas conscientiae stabilitur, quippe quae omnino in futurum contrahuntur) alia de *rebus futuris*, quae Gallico vocabulo *alliance* vulgo nominantur, nobis non magni pretii videtur quum haecce distinctio iterum redit ad illam, de qua mox diximus, duplicem foederis significationem.

Iam igitur videamus eosdem secuti duces, quaenam sint praecepta generalia *de foederum sanctitate* ¹⁾. Non multis demonstrare opus erit quantum intersit foedera sancte observari, nec monere „investigationem huius quaestionis eo fructuosior videri debere, quo plura exempla populorum et principum, qui eam ipsam pactorum foederumque sanctitatem et verbis et factis convellere conati sint, historia praebet,” neque ad hoc probandum longam seriem, quam cons. FAGEL exhibet, foedifragorum augebimus, licet ex iis quae, postquam ille scripsit, in Europa agitata fuerint, ingentis nominum seriei conflandae esset facultas. — Neque cum eodem gloriabimur „exempla eorum, qui haud erubuerint summa impudentia profiteri sibi nihil esse sacrum, seque reverentiam, quae (auctore CICERONE) adversus homines adhibenda est ²⁾, aut numquam habuisse aut dudum abiecissee, non magno numero adesse, quum omnes fere tum quum foedera frangerent et quasi conculcarent fidem suam ac honestatem iactarent ³⁾,” nos enim multo praviore etiam hac in re eos aestimamus, qui iustitiam simulantes maximam iniustitiam committant, quam qui palam dicere ausi sint se aliquam ob causam violasse ipsam foederum sanctitatem: atque igitur

lia esse aut ratione praestandorum aut ratione modi praestandi. Sie ex eius opinione, foedus quo unus auxilium, alter mercedem stipulatur esset inaequale. Hoc tamen modo haec foederum divisio parvi pretii fit.

¹⁾ H. FAGEL, diss. I. p. 14 sqq.

²⁾ Cic., *de Officiis*. I: 21.

³⁾ H. FAGEL, diss. I. p. 18.

multo libentius cum eodem dolemus „ob illam calliditatem in foederibus eludendis eos, qui re vera foedifragorum nomine digni sunt, non tantopere quantum oporteret in commune generis humani odium incurrere,” ac nobismet gratulamur historiam si ab una parte tot scelera vitiaque exponit, ab altera tamen etiam docere „bonam fidem non apud omnes inanem esse vocem, verum omni tempore apud omnes gentes fuisse qui non obliti sint quid iustitia incorruptaque fides, quid denique ipsa gentium felicitas ab ipsis exigeret.” ¹⁾ Hic enim etiam valet: *summa iniuria non tollit ius.*

Foederum autem sanctitas, etsi confirmetur eo quod gentium inde pendet felicitas, nititur iuris naturalis praeceptis: quum enim foedus idem est inter gentes ac contractus inter privatos, omnia adeo quae ius naturae de obligatione pactorum docet ad foedera transferri debent. Omittere igitur potuisset cons. FAGEL expositionem argumentorum ²⁾ quorum ob causam pacta privatorum sint tenenda, quia hoc pertinet ad ius naturale. Egregia tamen sunt quae deinde apud eundem sequuntur et de quibus supra ³⁾ iam verbo monuimus: securitas felicitasque privatorum si nituntur sanctitate pactorum, salutem populorum multo magis in eius observantia versari: quia inter gentes sanctitatem illam unice tuetur bona fides, qua rupta nil superest nisi vi et armis contentio, unde quanta mala oriri possint non est quod diserte exponatur: nam gentes numquam in unam civitatem coaluisse ut inter eas leges civiles valere possent et ille quoque profitetur ⁴⁾. Verum minus recte docet: „non solum eum populum qui laesus sit, iure suo perfidum ad fidem praestandam armis cogere, sed quamlibet civitatem iure succurrere laeso atque invadere laedentem quia foedifragus communia totius quasi generis humani iura violat neque minus in alios homines quam in eum cui fidem dederat peccat: atque illud ius, quod *natura omnibus hominibus dedit* in celeberrimo capite pacis Osnabrugensis (quo foedere in hunc usque diem

¹⁾ Cf. H. FAGEL, *ibid.* p. 19—22.

²⁾ *Ibid.* p. 23—26.

³⁾ *Ibid.* p. 86.

⁴⁾ p. 27—34.

imperii Germanici salus nititur) in obligationem, quae omnibus pacis consortibus disertis verbis imposita est, fuisse mutatum ¹⁾. Quam maxime nego tale ius *a natura* esse datum: si verbi causa duo inter se paciscuntur et alter promissis non stat, mihi ius nequaquam est alteri auxilii ferendi neque alterum cogendi ut fidem praestet pactis. Eadem et inter gentes valere probat illud ipsum exemplum pacis Osnabrugensis: quae eiusmodi pactis est adscribenda, quibus iuri naturali aliquid adiicitur vel derogatur, non eorum numero, quibus iuris naturalis placita tantum repetuntur. Ac si verum esset ex iure naturae unicuique ius esse laeso subveniendi, nullum dubium remaneret, quin actum foret de tota quaestione an interventio semper licita sit, actum igitur etiam de pace inter gentes. Verum est ²⁾ principes civitatesque, qui foedera rumpunt omnium bonorum odium in se contrahere, iustitiae fideique famam amittere atque sic nihil gloriosius esse quam datam acceptamque fidem servare; haec omnia — et inprimis, quod supra iam saepe monuimus, reipublicae praesertim in posterum salus — principes igitur moveant ut foedera sancta et incolumia servant, sed exteris (modo eorum foederis, quod ruptum est, non intererat) non concedatur ut ius habeant alterum cogendi ad fidem praestandam ³⁾.

Sed haec iam mittamus, et videamus quibus et quibuscum ius sit foedera ineundi et utrum liceat civibus qui nunc sunt futuros obligare. Ex definitione iam vidimus apud eos tantum foedera feriendi ius esse, qui in civitate summum habent imperium, sive *absolutum* sive ut dicitur *mixtum*: eo nempe modo ut in imperio absoluto omne foedus a principe ad salutem publicam (nam de principum privatis pactis sermo nobis non est) initum totam civitatem obliget: in republica vero cuius forma mixta est, foedus a principe ictum tum demum vim obligandi habeat cum formae a legibus fundamentalibus praes-

¹⁾ p. 34. Cf. DUMONT, *Corps Diplom.* Tom. 17. p. 498. — (cap. XVII.) WICQUEFORT, *l'Ambassadeur* II. S. 13.

²⁾ H. FAGEL, *diss. laud.* 36 sqq.

³⁾ Vid. *infr.* p.

scriptae in eo condendo observatae fuerint ¹⁾). Nec minus a summo imperante iure icta esse censentur foedera, quae legati sive ex speciali mandato, sive salva principum ratihibitione ²⁾ inierunt. Nam licet cons. LUZAC in annotationibus ad WOLFFIUM ³⁾ contendat (et quidem summo iure) huius effatum: *idem esse utrum ipse aliquid faciam an per mandatarium non semper esse verum* (quod illustrat egregiis exemplis ⁴⁾), idem tamen assentitur in hoc argumento illud omnino valere. Verumtamen aliter quam ille fecit distinguendum esse videtur: idem nempe est utrum ipse aliquid faciam an aliquem id facere curem, dummodo agatur de ipsis *meis* rebus: at idem non est si ipse iam alius mandatarius sum, sic ut medicus et causarum patronus in allato exemplo.

Aliam attingunt quaestionem LUZAC, HUBERUS, alique ⁵⁾, an cum unoquoque liceat foedus inire, etiam cum impiis et a vera religione alienis, quae quaestio nostro tempore nullam parere difficultatem videtur, certe *Anglis Gallisque et Sardis* (ut audiunt apud antiquos) *venalibus*. At illi iam monent omnino id licere quia ius naturae cunctis hominibus commune est: nec opus esse ut hoc multis exemplis confirmetur. Iure vetere divino enim quis nescit Israëlitis cum omnibus fere vicinis idolatris gentibus foedera contraxisse? et ex recentiore historia quid opus est exempla quaerere? Omnes fere Europae nationes foedera icerunt cum Turcis; sufficiat igitur cum LUZACIO memorasse Franciscum I Galliae regem saepius Turcorum auxilium

¹⁾ FAGEL, *ibid.* p. 46 et 47. BERG, *Diss. laud.* p. 183. VITRIARIUS, l. l. § 4.

²⁾ De ratihibitione infra agemus in capite de iure legatorum.

³⁾ WOLFF, *op. l.* § 1141.

⁴⁾ »Ceux qui donnent une commission font surtout attention à la personne dont ils font choix: un malade choisit un médecin: un client s'en rapporte à l'avocat, auquel il remet sa cause: il en est de même de ceux, qui sont préposés aux affaires publiques à la tête du gouvernement. C'est leur jugement, ce sont leurs talents, ce sont les motifs qu'on leur suppose et sur lesquels on croit pouvoir compter et faire fonds." LUZAC, l. l.

⁵⁾ LUZAC ad § 1148 WOLFFII, *Inst.*; HUBER, l. l. § 10, 11; VITRIARIUS, l. l. § 10, 11; HEINECC., *Elem.* § 213 et *Proleg.* II. 15. § 8—11; NOEST, l. l. § 8—12; GRASWINCKEL, l. l. § 8.

implorasse contra Imperatorem Carolum V: cum GRASWINCKELIO nostrates quotidie fere etiam nunc cum Indicis principibus foedera pangere. Cum HUBERO tamen lubenter profitemur cavendum esse in foederibus cum hisce ineundis ne potentia infidelium nimis promoveatur; multoque magis ne auxiliis illorum ad nocendum Christianis utamur.

Licetne civibus qui nunc sunt futuros obligare? Quaestio haecce, quamquam a multis agitata, vix aliquam difficultatem praebere videtur. Accuratissime eam tractat cons. FAGEL ¹⁾, et misso tritissimo illo, rem publicam esse corpus morale igiturque continere et praesentes et futuros cives, rem plane conficit alia quaestione proposita: si verum est cives posteros suos obligare non posse, quamdiu igitur duret ista civium, qui *nunc* sunt, societas? Idem et valere in civitatibus ubi ius foederum est apud principem, non est quod dubitemus: in monarchia absoluta princeps totam civitatem repraesentat, in temperata ipsa civitas principis facto calculum adiacere tenetur. Sic et princeps successorem obligat ad foedus tenendum, quia etiamsi princeps moriatur, civitas manet eadem. Neque est quod obiicias omnes societates adeoque et eam, qua rex cum civibus suis iungitur morte tolli nec foedera niti quasi sacramento, cuius vis non excedit personam iurantem: Princeps enim censetur numquam mori ²⁾ (et hoc ipso tollitur foedissimum illud civitatem et summam in civitate potestatem pacto niti sociali): foedera panguntur totius reipublicae nomine, neque iusiurandum eorum fundamentum est, sed si fidei datae accedat paciscentis obligationem nova tantum munit auctoritate ³⁾. Ceteroquin populus in praestationibus futuris obligatur ad id ut cives futuros ad agnoscendam horum foederum vim et auctoritatem adducat. — An autem posteris ius sit foedus mutandi quando id requirere videtur publica salus, aliud est de quo mox videbimus. Hoc unum hic addendum: si alter populus in foederati ditionem ita receptus est, ut hae duae civitates

¹⁾ Capite tertio. p. 41—58. Cf. GROT. II. 16. § 16.

²⁾ Secundum notissimum adagium: *le roi est mort, vive le roi!*

³⁾ FAGEL, l. l. p. 56, 57.

non nisi unam civitatem efficiant, iure foederati ab ea gente, quae foedus olim cum ipsis iniit, exigent, ut novos cives non aliter in ditionem recipiat quam conditionibus pacti adsentientes; quodsi noluerint, respublica hosce advenas nulla ratione recipere potest, quia numquam pactum posterius repugnare debet priori ¹⁾. — Quod ad ultimum hocce attinet, vix opus erit monere auctorem sibi voluisse foedera inter diversos inita, nam inter eosdem prius ictum foedus posteriore everti posse, luce clarius est ²⁾.

Quum autem ex nostra inscitia rerum futurarum liquet obligationem standi promissis non semper dici posse perpetuam, restat dispicere, ob quas causas fidem datam atque acceptam fallere nonnumquam fas licitumque sit. De hoc agit idem noster cons. FAGEL in ultima dissertationis parte. — Foedera ipso iure perimi quum consilium ad quod exsequendum inita erant, expletum est et expeditum, aut ipsum tempus in quod contractum erat iam elapsum est, unicuique patet ³⁾: neque multo difficilius est intellectu foedera civitatis, quae sive ultro, sive coacta, alius imperio se subdidit, omnem vim amittere nisi ius quaesitum genuerint ⁴⁾: quae enim in alterius potestatem recipitur non amplius per se civitas manet. — Graviores tamen sunt, quae hic nascuntur quaestiones, quarum praecipuas recensebimus.

Rogatur an fundamentum, quo foedus nitebatur, eiecto rege quocum ictum erat, ruere videatur? et respondet FAGEL ⁵⁾ foedus valere quamdiu eadem maneat civitas: sive aliis verbis, valere quousque adhuc dubium est, utrum populus regem suum eiectum maiestate regia et imperio prorsus privare voluerit, an gratiae reconciliationique locum reliquerit. Quodsi vero regem omni auctoritate spoliaverit neque eius in se imperium

¹⁾ *Ibid.* p. 45, 46.

²⁾ Cf. *ibid.* p. 71, 72.

³⁾ *Ibid.* p. 61; HUBER, l. l. § 15; GRASWINCKEL, § 11.

⁴⁾ p. 62. Sic recte monet, principem, qui alienam provinciam in suam recepit ditionem, teneri solvere aes alienum a priore domino contractum. Neque opus est quaerere exemplum apud externos; recens patriae nostrae historia egregium praebet.

⁵⁾ p. 63, 67, 68.

amplius agnoverit, civitatem non diutius eandem manere videri: foedus sublatum esse censendum quippe initum cum rege atque populo. — GROTIUS tamen eiusque interpretes HENRICUS COCCEIUS uti et DE VATTEL ¹⁾ secus existimant, atque nos horum omnino tuemur opinionem: videlicet foedera cum rege et populo inita sunt realia, igiturque regis morte sive naturali sive civili perimi nequeunt: attamen fieri nonnumquam potest ut mutatio quam civitas subiit, sociis iustam praebeat causam societatem rumpendi ²⁾).

Si foedus defensivum initum est inter duos reges et alter eorum regno expellitur, quaeritur an alter pulso huius foederis vi subvenire teneatur? Respondet FAGEL regi succurrendum si perspicuum est eius esse iustam causam, sin contra, si de neutrius iustitia liquet, alterius civitatis esse socio dicere: *„non meum est inter vos tantas componere lites.“* Verum auctor hac in re errare videtur: quum mox ipse dicit foedus illud defensivum ictum esse adversus communem hostem, non adversus alterius cives a rege deficientes, iam hoc ipso argumento contra eum utimur, et contendimus socio omnimodo abstinendum esse ab alterius civitatis civilibus discordiis. Noster ius interventionis iterum hoc loco nimis extendere videtur ³⁾).

Foedera omnia mutuo consensu, et personalia morte alterius contrahentium tolli vix opus erit adicere ⁴⁾), aequae minus ac contrahentes ad ea quae in foedere promiserunt praestanda non obligari, ubi illis *omnes* ad promissa exsequenda vires desint, licet caute hac in re sit agendum ⁵⁾). — Maioris mo-

¹⁾ Op. laud. II. 12. § 197.

²⁾ Quomodo contra hoc iuris gentium praeceptum rerum novarum molitores in Gallia superiore saeculo exequente peccaverint egregie exposuit Doct. H. A. VAN DLJK, (*Considérations sur l'histoire de la Révolution française.* (Utrecht, 1854.) p. 4, 59 et passim.

³⁾ De iure interventionis qui conferatur dignus est I. L. H. A. GERICKE, *Diss. inauguralis de iure interventionis ante rerum conversionem in Gallia usurpato*, L. B. 1834. Multa et egregia de hoc argumento, duce historia, scripserunt WHEATON, *Histoire du Droit des Gens*, Tom. I passim et PHILLIMORE, op. l. II. p. 433—493.

⁴⁾ FAGEL, p. 69. HUBER, l. l. § 16.

⁵⁾ FAGEL, p. 70, 71. BERG, diss. laud. p. 240.

menti est, si principi cuidam plures sunt foederati, quorum singulis auxilia debentur omnesque bellum gerunt, cuinam princeps opem ferre debeat? Si foederati cum tertio bellum gerunt nullam superesse difficultatem omnes profitentur ¹⁾, quum ex ipso rei natura sequatur omnibus auxilium esse mittendum. Quodsi vero bellum geritur inter foederatos ipsos: utri tunc princeps foederatus auxilium mittere debeat, quaestio est de qua plerique scriptores dissentiunt, tamen in hoc convenientes, utrique auxilium mittere absurdum esse. — Si HUBERUM audias, non ex iurisdictione, quae nulla est, sed ex iure et ratione naturali cognitio suscipienda erit, ab cuius partibus stet ratio et iustitia causae, ut qui iure potior sit, auxilia accipiendo quoque prior habeatur: si non liquet, utrique vel potius neutri mittendum. Ex FAGELI sententia antiquiori foederi semper standum est, nulla enim cum posteriore contrahi potest societas quae priori repugnat, nisi prioris socii iniustitia insignis sit et paene manibus tenenda. BYNKERSHOEKIUS postquam egregie ostendit distinguendum esse inter amicos et socios, ita ut amici nequaquam in bellis suorum amicorum se interponant, socii vero nonnumquam cogantur ut alterutram partem eligant, docet si duo tibi foederati se invicem aggrediuntur, ex foedere satisfaciendum ei qui ex tuo arbitrio iustiore habet causam: hoc vero tantum valere de foederibus quibus ante bellum auxilia promissa sunt, nam bello iam exorto neutri auxilia promitti posse nisi alterius amicitia et societate violata. GRASWINCKEL eandem hanc sententiam tueri censendus esset nisi addidisset, etiamsi alterius causam iustam esse appareat, licere tamen alteri succurrere atque auxilium ferre si magis hoc prodesse videatur nostrae civitatis saluti, quia nemo tenetur se ipsum perdere aliorum causae favendo: At quid opus est dicere huius auctoris praeceptum obstare summis iuris atque honestatis principiis etiam inter gentes summopere observandis ²⁾?

BYNKERSHOEKII igitur opinionem, quae etiam GROTII est

¹⁾ HUBER, l. l. § 12; FAGEL, p. 72 sqq.; BYNKERSHOEK, *Q. I. Publ.* l. 9; GRASWINCKEL, l. l. § 17; VITRIARIUS, l. l. § 12; NOEST, l. l. § 13.

²⁾ Cf. infra p. 101.

huiusque interpretum VITRIARIJ atque NOESTII, nos quoque amplectimur, modo addatur quod HUBERUS subiunxit, si de iustitia non liquet neutri esse mittendum auxilium. FAGELI enim sententiam iam eo ruit quod iure quaeri possit, quid si cum utroque uno eodemque tempore foedus sit initum? at recte ille cum VATTELIO ¹⁾ vidit in societate modo defensiva huic quaestioni nullum locum esse posse.

Quum per se pateat foedus ab initio vitio laborans ipso iure nullum esse, elegans oritur quaestio num rex captivus foedus ferire possit publica auctoritate, sive ita ut tota civitas illo obstringatur. Apud nostrates separatim hanc quaestionem attigit cons. V. WESELE SCHOLTEN in diss. *de foedere Madritano*, quod Franciscus I Galliae Rex cum Carolo V Imperatore captivus fecit ²⁾. FAGEL ³⁾ negat "quia principi captivo adimitur facultas commodis publicis inserviendi": nullam igitur habet vim antequam populus illive, qui vicem eius gerunt, quibusve regni administratio rege absente credita est, vel denique rex ipse in regnum restitutus confirmaverit. In eandem sententiam abit cons. SCHOLTEN, docens pactum a rege captivo factum nullo modo foedus esse, sed sponsioni equiparandum ⁴⁾.

Foedus ab altera contrahentium parte violatum ex ipsa pactorum natura rumpitur: verum ne hoc ita censeatur nisi perfidia sit gravis et manifesta ita ut ea totum foederis propositum evertatur, salus gentium postulat. Si enim admitteretur ob levissimam, forte ne voluntariam quidem, violationem omne foedus rumpi, quam facile alteruter paciscentium causam quamlibet reperire posset, quo ostenderet socium promissis non stetit ⁵⁾. Eandem etiam ob causam pessimum est quod nonnulli autumant, in gentium pactis quae in rebus futuris versantur

¹⁾ *Droit des Gens*. VI. § 93.

²⁾ Amst. 1784. Est una ex illa dissertationum serie, quae in Athenaeo Amstelodamensi praeside viro cl. H. C. CRAS publice defensae sunt. Cf. KEMPER, *Memoria Crassii*. p. 12 et 13.

³⁾ p. 77.

⁴⁾ Vid. diss. laud. p. 24.

⁵⁾ FAGEL, l. l. p. 78—81; HUBER, l. l. § 14; VITRIARIUS, l. l. § 14; GRASWINCKEL, l. l. 13.

(*alliances*), quemlibet socium ius habere foederis rumpendi simulac illud servare non amplius e re sua sit: quod si valeat actum est de foederum inter gentes sanctitate. FAGEL egregie horum argumenta prostravit et convulsit: unum hoc praetervidisse videtur, ius omnino esse contrahentibus foedus solvendi, modo id fiat mutuo consensu sicuti mutuo consensu etiam initum est ¹⁾).

Restat in argumento de foederum sanctitate ut inquiretur quatenam vis tribuenda sit clausulae, quae saepissime gentium pactis adiicitur *rebus sic stantibus*, sive an princeps ob mutatas temporum rationes foedus numquam rumpere possit? Si clausula illa diserte adiicitur vix ulla potest nasci difficultas, verum plerumque tacite subintelligi censenda est. Attamen ius foedus rumpendi tantum concedendum videtur si tanta mutatio orta sit ut totum foederis fundamentum ruat, aut si foedus servatum reip. summum detrimentum afferret ²⁾. Omnino ab hoc differt nefaria pactorum gentium sanctitatis exceptio, quam vocant *Rationem Status*; quae ratio nihil est nisi velamentum quo principes perfidiam, iniustitiam, rapinas et omnia scelera obtinent ³⁾. Tandem censendum ne principi quidem ius esse foedera inita rumpendi ob rerum rationes mutatas, nisi probet idonea adesse argumenta quibus ductus a fide recedat, ne si taceat locum det perfidiae et fraudibus ⁴⁾.

¹⁾ FAGEL, p. 81—91.

²⁾ *Ibid.* p. 91—94. Cf. PHILLIMORE, II. p. 99 sqq., qui egregium huius clausulae exemplum exponit, in quaestione hisce in primis annis tam saepe agitata, quae apud nos audit *de Russische schuld*.

³⁾ *Ibid.* p. 95. Vid. etiam BYNK. *Q. I. Publici* l. 25. § 10. »Has iniurias peperit et adhuc parit *Ratio* quam vocant *Status*, quam ipse definit: monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum; huic monstro si semel cedas semelque tibi indulgeas aliena non alio loco habere quam tua, iam frustra est omnis disputatio de iure gentium et publico.» — Cf. [VAN GOENS], *Politiek vertoog over het waar systema van de stad Amsterdam*. (1781.) p. 95.

⁴⁾ Quanti maiores nostri semper fecerint sanctam foederum observationem inculenter indicat Edictum Ordinum Generalium 28 Maii 1669, quo opus PETRI DE LA COURT (*Aanwijzingh der politieke gronden en maximen*, etc.) publicatum est: scilicet huius publicationis causa fuit inter alia: »dat het

Atque hoc modo ultro iam incidimus in argumentum cum eo de foederum sanctitate arctissimo vinculo coniunctum, nempe in locum *de foederum interpretatione*: qua in re in dies crescit hominum calliditas, ne dicamus, mala fides. Pauca at praeclara expromsit HUBERUS in eodem iam saepius laudato capite¹⁾. „Interpretatio, inquit, facienda est sine calliditate ex simplice et populari intellectu verborum, procul habito sensu diverso, quem quis tacite in animum inducere vel dictis adfingere possit. In ambiguis autem interpretatio admittenda est, quae vitio caret et favorabilior est.”

Pluribus de hac materia disserunt, qui GROTIUM secuti sunt interpretes iuris gentium: quum autem hi de omni genere interpretationis promiscue agunt, cavendum est ne omnia, quae afferunt, foederibus applices. Nam licet regulae interpretationis, quae ex ipsa rei natura derivantur omni generi pactorum et contractuum aequae congruae sint, facile tamen est intellectu, alios etiam esse modos interpretandi, qui pendent a diversis pactorum generibus; v. c. interpretatio, quae multo valet in lege explicanda quaeque dicitur *authentica*, i. e. quae datur ab ipso

voorschreive Boeck in veele passages aanleydinge soude geven . . . omme te insinneeren veele pernicieuse, detestabele en verfoeijelycke maximen, medebrenge dat men niet langer schuldig is Alliantiën en beëdighde verbonden te houden en te presteren, als de observantie van eedt en trouw met het intrest van de Republycque kan werden gecompasseert, zijnde gronden en maximen, die bij alle menschen, maer voornamentlijk bij desen Staet (die altydt hare hoogste glorie heeft ghestelt in een religieuse observantie van Traktaten, verbonden en Alliantiën) behooren te zijn en te blijven in een eeuwige afschrick ende execratie.” — Totum hocce edictum exstat apud B. W. WITTEWAALL, *Proeve uit een onuitgegeven Staathuishoudkundig Geschrift van Mr. PIETER DE LA COURT*. (Leiden 1845.) p. 186—191. Inprimis tamen de toto hoc argumento, de sententia PETRI LA COURT, de edicto Ordinum Generalium, de nostratum de sanctitate foederum opinione, dignissimus est qui conferatur cons. O. VAN REES, *Verhandeling over de Aanwijzing der pol. Gr. en Max. van de Rep. van Holland en West-Vriesland van P. DE LA COURT*. (Utrecht 1851.) p. 112—116. — Vid. etiam [VAN GOENS], *Politiek vertoog*, cet. (op. l.) p. 313 sqq.

¹⁾ § 20—23.

legislatore 1), hoc modo in foedere interpretando locum habere nequit: verum, quum legislator, ut non raro fit, huic authenticae interpretationi novae legis dat formam, idem et inter gentes optime fieri potest novo ineundo pacto 2). Hanc autem distinctionem nimis neglexisse videntur nostrates quos ante oculos habemus interpretes: VITRIARIUS nempe et HEINECCIUS 3), qui tamen et in hoc GROTIUM sunt secuti. Videamus tamen quaenam eorum quae dixerunt, etiam recte et ordine in foederibus valeant.

Omnis contractuum in iure gentium interpretationis fundamentum est *bona fides* 4): mens paciscentium igitur colligenda est ex signis maxime probabilibus, quorum duo sunt, verba et coniecturae aliae, quae aut seorsim aut coniunctim spectentur 5). In verborum interpretatione spectanda est non grammatica sed communis significatio, coniecturis opus erit cum verba aut verborum coniunctio plures recipiunt significationes et quoties in pactis est species quaedam repugnantiae. Atque hae coniecturae voluntatis paciscentium depromuntur ex rerum materia, ex effectu, aut ex iis coniunctis 6).

Haec valent universe in foederum explicatione: at inter interpretes agitur quaestio, quaenam admittenda sit interpretatio in foederibus odiosis, quaenam in favorabilibus, quaenam in ambiguis 7). Nec desunt, qui hanc foederum distinctionem reiiciant, inter quos locum praecipuum obtinent BARBEYRAC 8) et HEINECCIUS 9) et quidem hanc ob causam, quod eadem res,

1) Cf. l. 12. Cod. de legg. et const. Princ. et edictis (l. 14.): »Tam conditor quam interpres legum solus Imperator iuste existimabitur.»

2) Vattel II. 17; imprimis vero cf. PHILLIMORE op. l. II. p. 79 sqq., qui unus omnium egregie et doctissime de toto hoc argumento egit.

3) VITRIAR., Inst. II. 16; HEINECC., Proleg. II. 16. NOESTIUS argumentum de interpretatione non de industria tractavit; quum eam materiam per totum opus dispersit, eos qui separatam requirant hac de re commentationem relegat ad ipsum GROTIUM ac PUFENDORFIUM.

4) PHILLIMORE, II. p. 55, HEFFTER, p. 173.

5) VITRIAR., l. I. § 4, 5; HEINECC., § 1.

6) VITRIAR., § 7 et 8; HEINECC., § 4 et 5.

7) VITRIAR. § 10 sqq.; HEINECC., § 9 sqq.

8) In nota ad GROTIUM II. 16. § 10. et PUFEND. II. 16 § 12.

9) l. I. § 10 sqq. et 20.

quae alteri contrahenti odiosa esse solet, alteri saepius favorabilis videtur. Neque nos hanc distinctionem magni faciendam esse ducimus: interpretatio sana etiam praeter hoc optime fieri potest: si tamen quis eam velit urgere, aequum omnino est in favorabilibus istis *latae*, in odiosis *strictae* verborum interpretationis rationem haberi ¹⁾.

Maioris momenti in iure foederum est aliud genus interpretationis, quod dividitur in *extensivum* et *restrictivum*: quodque adhibendum est quum verborum interpretatio atque illi, quos iam indicavimus, coniciendi modi non sufficiunt: mens enim loquentis interdum alia est quam verba prae se ferunt ²⁾: et igitur opus est remedio, quo verba componantur ad animi propositum. Verum optimam quamque cautionem in his adhibendam esse quid opus est monere? Manendum enim est inter ipsius rei quam interpreteris fines, neque ad analogiam aut deductiones recurrendum. In extensiva autem interpretatione adhiberi possunt *idem casus, eadem rationes*, non vero (ne interdum quidem) *similes*, quod nihil aliud esset quam ex analogia argumentari ³⁾. Idoneum huius interpretationis exemplum est quod ex GROTIUS ⁴⁾ omnes petunt: pactum est aliquando, quum nullo aliud nisi muris muniendi genus esset, ne quis locus muris cingatur: per extensivam interpretationem etiam postea non licebit eum locum vallis et aggeribus cingere: *eadem* enim in his est ratio. — *Restrictiva* petitur ex defectu originario voluntatis, sive ex absurdo quod sequeretur ex stricta verborum interpretatione, vel ex materiae defectu ⁵⁾. Exempla

¹⁾ PHILLIMORE, II. p. 109, et VATTEL, II. § 300 sqq.

²⁾ VITRIARIUS, I. I. § 23 sqq.; HEINNECCIUS, I. I. § 20 sqq.

³⁾ Hac in re igitur VITRIARIUS I. I. § 25 reprehendendus, quippe qui statuatur similitudinem rationis etiam huc adduci posse, (cf. GROTIUS. 16. § 20. » nec ratio similis sufficit sed oportet eadem sit.) — Non tamen quod analogiae nullum locum in iure gentium tribueremus, verum putamus, quum analogia admittitur, eo ipso foederum interpretationem cessare: » analogia enim (ut recte docet MÜHLENBRÜCHE, *Doctr. Pand.* p. 64) praeter legis argumentum novi aliquid inducimus. De analogia in iure gentium bene egit DE WAL, *Inleiding.* p. 88, 89. Cf. PESTEL, *Comm. de Rep. Bat.* § 351, et in primis BYNK., *de Foro Legat.* c. III.

⁴⁾ I. I. n.º. 3.

⁵⁾ VITRIAR., I. I. § 27. HEINNECC. I. I. § 22 sqq. Quarta quam affert

quae hoc probarent, unicuique ad manum esse possunt: igitur iis supersedebimus. Ad restrictivam hanc interpretationem etiam referenda est gravis illa quaestio de clausula: *rebus sic stantibus* ¹⁾.

Multa praeterea hisce addi possent, verum ne longiores simus ad aliud argumentum transibimus: quum enim egimus *de foederum sanctitate*, deque eorum recta *interpretatione* restat ut dispiciamus *de modis quibus de utraque re inter gentes caveri possit*. Quod ut fieri posset varia variis temporibus excogitata sunt remedia. Huc enim pertinent in antiquitate Romana notissimae caerimoniae, quibus fetiales foedera feriebant: huc alii inter barbaros observati ritus; huc solemnes istae affirmandi formulae, quibus hodie uti solent qui foedera incunt, cum declarant paciscentes sese *sancte, religiose bona fide, solemniter, irrevocabiliter, fide regia* (parole royale) promittere; huc inprimis obsides et ea fideiussionum genera quae recentiore aevo praesertim sub *guarantiae* nomine celebrantur ²⁾. Hac autem in re FRANCISCUM FAGEL (aliis attamen non spreto) ducem sequemur, qui omnia haec tractavit in diss. iam supra laudata: *de guarantia foederum*. Nonnullis de ipsius huius peregrini vocabuli significatione et origine ³⁾ praemonitis, *Guarantiam* in genere acceptam docet esse *securitatem alicui datam de praestatione promissorum*, sensu vero quo nunc usurpatur *promissionem foederato utrique vel alter utri pacta conventa servatum iri*, eamque fieri a foederatis ipsis vel a tertio: priore

cansam VITRIARIUS casus emergentis repugnantiam cum voluntate nisi fallor eodem redit ac prima: neque hoc petivit ex GROTIO.

¹⁾ Vid. supra p. 101.

²⁾ Vid. H. FAGEL, in diss. laud. p. 31, qui vero minus recte huc quoque affert »solemnes ratificationes quibus principes declarant se foedera a legatis suis rite icta servaturos.» Hae nempe ita constituunt foedus ut sine iis foedus non ictum esse videatur: quae guarantiae nomine comprehenduntur pleraque saltem supervacanea dici possunt.

³⁾ Quantopere dormitant nonnulli in verborum originibus explicandis novum hoc sit exemplum: quod nonnulli Teutonicum vocabulum unde *guarant* et *guarantia* derivari dicuntur, ductum esse contendunt a Graeco *ὄραω*! — Vid. diss. laud. p. 3.

sensu *verbalem* esse vel *realem*, vel *personalem*, posteriore *personalem* tantum ¹⁾.

Guarantia verbalis fit per iusiurandum. Hoc autem, licet in antiquioribus foederibus utramque faciat paginam ²⁾, postea vero in desuetudinem abiit, inprimis cum medio aevo Romani Pontifices concessum sibi esse contenderent iusiurandi religione solvere ³⁾. Guarantia realis, quae iure civili fit ac oppignoratione, iure gentium locum habet quando gens alteri in securitatem pactorum conventorum possessionem territorii vel partis eius tradit ⁴⁾. Verum est quod auctor tradidit, et in iure civili et in iure gentium hic valere dictamina iuris naturae, at parcere potuisset exemplorum farragini ex iure Romano petita. Meliora sunt quibus docet illam oppignorationem sive totius alterius paciscentium territorii, sive partis cuiusdam, per omnia tempora inter omnes gentes maxime fuisse usitatam: quae persequi nunc longum esset. Ad nostram autem de iure gentium doctrinam firmandam egregie faciunt quae hac in re idem exponit, multa, quae de oppignoratione iure civili lata sunt, etiam in iure gentium valere, nonnulla vero esse diversissima: inter gentes v. c. nullum existere ius ἀντιχρήσεως, verum extra omne dubium esse, quin iure gentium antichresis expressa constitui possit ⁵⁾. Novum igitur hoc sit argumentum aliud etiam inter gentes valere ius quam simplex ius naturae. Deinde gaudemus, quod auctor ut probaret oppignorationem iuris gentium esse, etiam usus sit magna exemplorum copia, inprimis ex illustri bello, quod cum Hispanis a maioribus gestum est ⁶⁾.

1) Posteriore hoc sensu usurpatur etiam a cons. KLINKHAMER, diss. laud. p. 166 sqq. Cf. PHILLIMORE, op. l. II. p. 67—69.

2) Pacem Noviomagensem anno 1678 inter Galliam et Hispaniam initam ab utraque parte iureiurando confirmatam esse testatur WICQUEFORT. II. 15.

3) F. FAGEL, diss. laud. p. 4—10. Cuius rei exemplum affert FAGEL: inducias nempe pepigerat ULADISLAUS Poloniae et Hungariae rex cum AMURATO Turcarum imperatore, easque iureiurando confirmaverat. Pontificis vero Eugenii IV legatus regem ad rumpendas inducias excitavit illumque nomine pontificis iusiurandi vinculo solvit.

4) *Ibid.* p. 11.

5) p. 14.

6) p. 16, 17.

Maioris momenti est quarantia *personalis*, quae duplici modo praestatur: aut enim a potestate summa in securitatem pactorum conventorum dantur *obsides*, aut proprio motu interveniunt qui spondent sive foederato utrique sive alterutri foedus servatum iri. De singulis separatim videndum.

Obsides ¹⁾ dare in securitatem fidei observandae iam a primis inde temporibus usu invaluisse, quis nescit? Tres eorum esse species, nempe qui ultro se offerunt: qui traduntur aut delecto communi consensu, aut sorte vel principis iussu designati ²⁾: qui ab hoste inviti capiuntur ut iussa vel conventiones eo melius praestentur, non minus notum est. Totum hocce argumentum accurate a nostratibus pertractatum est ³⁾; verum, quum obsides dare nostro aevo inter gentes non amplius in usu sit, ne in pactorum transitoriorum quidem securitatem, quod diu adhuc invaluisse, etiam postquam pro cautione foederum perpetuorum dari desierant ⁴⁾, testatur pax Aquisgranensibus ⁵⁾ a^o 1748 inter Galliam et potestates maritimas inita, vix est quod amplius de ea re inquiramus.

Frequentior hodie est usus *guarantiae* quae proprie sic dicitur, quum nempe exteri principes aut civitates foedus ratum fore spondent ⁶⁾. Vocis barbariem iam satis ostendit ipsam rem Romanis fuisse ignotam, neque huius rei rationem diu latere potest: veteres enim populi, et Romani etiam plus quam Graeci, suae tantum invigilabant saluti; *ars politica*, hodie adeo

¹⁾ Ictorum Rom. etymologiam scripto mandare non erubuit FESTUS (in voce) » *obsides*, quasi ob fides, quia ob fidem patriae praestandam dantur.»

²⁾ Ad secundam hanc obsidum speciem pertinent etiam hi, qui pacis tempore dantur, cuius exemplum praebet CAESAR in *B. G.* VI. 2, ubi narrat Treviros nonnullas Germanorum civitates iureiurando inter se confirmasse obsidibusque de pecunia cavisse.

³⁾ F. FAGEL, diss. laud. p. 17—25; VITRIARIUS, *Inst.* III. 11. § 56—64; HEINECCIUS, *Elem.* II. § 221, *Prælect.* III. 20. § 52—59.

⁴⁾ HUBER, *de I. Civit.* I. l. § 25.

⁵⁾ FAGEL, p. 19. vide Rousset, *Actes et mémoires*, tom. XX.; HEEMEN, *Gesch. des Europ. Staatensystems* (Göt. 1811) p. 411, 412; GROEN VAN PRINSTERER, *Handboek* § 632.

⁶⁾ HUBER, I. l. § 26; F. FAGEL, diss. laud. p. 25 seqq.

culta, illis maximam partem erat ignota ¹⁾). Si auctori nostro credimus prima huius garantiae vestigia inveniuntur apud Celtas post collapsum in occidente Romanum imperium: saepius etiam in hisce primordiis „nobiles qui honorem sive *equitis* sive *militis* virtute meruerant” in tabulis quoque pacis tamquam sponsores, sive proprio nomine *conservatorum pacis* appellantur ²⁾). Paullatim vero principes, quum hoc modo in subditos transferebatur ius ac potestas de principis actibus iudicandi, illum morem abrogarunt, ipsique summi Imperantes guarandi sive sponsores semet ipsos interposuerunt ³⁾). Cuius primum exemplum suppeditare videtur foedus a^o. 1505 Blaesii (Blois) ictum inter reges Galliae atque Hispaniae, Ludovicum XII et Ferdinandum, ubi summi contrahentes Angliae regem rogaverunt ut illius pacis conservator existeret ⁴⁾). Alteram summorum imperantium garantiae speciem, quam affert FAGEL ⁵⁾, cum nempe ipsae partes contrahentes sibi invicem securitatem pacis spondent, vix garantiae nomine appellari posse putamus ⁶⁾ (licet in ipsis pactis hoc vocabulum usurpetur) sed potius referendum ad illa vocabula solemnia, de quorum usu in foedere feriendo supra diximus. Aliud superest garantiae genus ⁷⁾, cum nempe inter populos liberos convenit ut simul alterius tum regis, tum populi terras adversus alios tueantur ⁸⁾, quod arcte cohaeret cum systemate Europaei *poli-*

¹⁾ FAGEL, p. 26.

²⁾ *Ibid.* p. 26, 27. Exemplum huius rei est in *magno foedere commercii* sive *magno intercurso* inter Angliam et Belgium Foederatum inito a^o. 1496. Vide KLUIT, *Hist. foed.* § 184 et *Index chron.* n^o. 89; KLUIT, contendit *conservatores esse* eo tempore nobilibus fuisse *obligationem* et *onus*, non vero *honorem* vel *jus contrahendi*; unde tamen hoc probet non adscripsit.

³⁾ FAGEL, p. 28; KLINKHAMER, diss. laud. 166, 167.

⁴⁾ FAGEL, p. 29, 30. Vid. *Corps Dipl.* T. IV. p. 1. p. 74.

⁵⁾ FAGEL, p. 31.

⁶⁾ Guarandi enim dicuntur *exteri* principes, qui foedus ratum fore spondent.

⁷⁾ p. 31—33.

⁸⁾ Vide KLUIT, *Hist. foed.* § 162. *Index Chron.* N^o. 533. „ut utriusque exhiberetur catalogus foederum cum aliis gentibus pro quibus fidem quisque suam interponeret.”

tici aequilibrii, quod initium cepit a celeberrima pace Westphalica, inprimis huius art. 116 ¹⁾: *ut pax ista deinceps lex haberetur perpetua*, quodque praesertim agitatam est in nobilissima quaestione de successione Hispanica, quae causa fuit Pragmaticae sanctionis Domus Austriacae, cuius garantiam susceperunt multae Europae civitates ²⁾. Neque eiusmodi quid a nostris temporibus alienum esse, vix opus erit monere.

Guarantiarum princeps et maxime generalis scopus est conservatio pacis ³⁾, quo igitur tendere debent omnes guarandi conatus. In quo munere suscipiendo nemo nimis caute agere potest ne alienae tranquillitati consulturus propriam disturbet ⁴⁾. Quod promiserit, tenetur guarandus in quantum potest praestare, si eius auxilium imploraverit pars laesa; et recte sic dicitur in quantum potest, nam et hic valent multa eorum quae diximus de foederatorum officiis standi promissis. Iustae enim et hic esse possunt causae garantiam non praestandi: si ipse qui promisit in periculo versatur, aut si domesticis turbis externove bello est implicitus, in hisce et similibus omni videtur obligatione solutus.

Multi fortasse ex hisce omnibus putabunt nullam garantiam aptiorem rationem pacis conservandae abhiberi posse, verum et hoc inutile plerumque repertum est. Historia enim docuit, si vinculum propriae utilitatis guarando non adsit, paullum aut nihil in huiusmodi cautionibus esse fiduciae ⁵⁾, et quidem, quod etiam peius est, eiusmodi garantiae foedere exterarum gentes saepe usas fuisse praetextus loco, ut sic non vocatae alienis rebus se immiscerent, atque adeo iniustum

¹⁾ ДУМОТ, *Corps Dipl.* T. VI.

²⁾ De garantiae exemplo in foedere Traiectino obvio, quum nempe Belgae et Austri nec minus Franci et Hispani promiserunt Anglis petentibus, ut illi sua fide esse iuberent succedendi ordinem, quem in regno Britannico observandum constituerant Anglorum ordines, incolumem servari, agit KLINKHAMER, *diss.* l. p. 168 seq.

³⁾ FAGEL, p. 33.

⁴⁾ *Ibid.* p. 37.

⁵⁾ *Ibid.* p. 39—42; HUBER, l. l. § 26, 27.

bellum iusta specie adstruerent ¹⁾. Omnia igitur in iure foederum ad hoc unum redeunt: nil substitui posse in bonae fidei locum!

Recensuimus igitur universum ius foederis, et nisi fallimur nostratum hac in re doctrinam ita exposuimus, ut pateat ei, qui in hoc argumentum inquirere velit, non opus esse recurrere ad externos scriptores. De HUBERO non est quod hic addamus: ipse ut iam indicavimus confitetur se compendiose illud de iure foederum caput tractasse; multa tamen ab eo praeclare in hocce compendio esse collecta nemo negabit. HENRICUS FAGEL clare et perspicue dissertationem suam conscripsit, et licet negandum non videatur WOLFFII ac VATTELI opera magna ei fuisse auxilia, apparet tamen eum hosce illustres scriptores non coeae esse secutum. Si quid in eo reprehendimus (praeterquam quod saepius in repetitionem incidit) hoc est: eum exempla, quibus usus est ad sententiam suam confirmandam, nimis quaesivisse apud externos, spreta ut videtur ipsa patriae historia. Verum et hoc ei facile ignosci potest, quum illi nondum ad manum fuit *Historia foederum* a KLUITIO edita, quo libro exempla quaerendi munus nunc tam facile redditum est. Melius tamen hac in re iam egit FRANCISCUS FAGEL, qui iure dici potest optime de iure gentium meruisse, quod totum suum argumentum historice tractaverit et omnia ingenti exemplorum copia illustraverit. VITRIARIUS ac NOESTIUS in hoc quoque argumento GROTIUM secuti sunt: nonnullaque etiam de suo addiderunt: hic inprimis multa corroboravit atque illustravit egregiis ex historicis petitis exemplis. HEINECCIUM, LUZACIUM, BARBEYRACUM, GRASWINCKELIUM aliosque nostrates non esse spernendos, eorum scriptorum saepius repetita laudatione melius, ut arbitramur, probavimus quam verbis id nunc facere possemus.

Et iam hocce caput missum faceremus, nisi aliud esset peculiare foederum genus, quod sicuti peculiari indiget inquisitione ita et praeclare expositum est a cons. F. E. BERG VAN MIDDELBURG in diss. iam saepius laudata *de foederibus patronici*: quod quum auctoris consilium non erat ut universe de

¹⁾ KLINKHAMER, diss. laud. p. 167. Guarantiam foederum recentiorum saeculorum historia duce exposuit PHILLIMORE, op. laud. II. p. 70—78.

patrocinio ageret, quod aliae gentes aliis quavis opportunitate praestiterint, verum tantum de patrocinio suscepto *imito foedere* 1) eo etiam magis idoneo hoc loco sedem suam habeat. In hac autem dissertatione primum ex historia omnia recensentur patrocini foedera, deinde ex horum secum invicem comparatione conficitur quid inter gentes Europaeas circa patrocini foedera hodie vulgo iuris habeatur atque observari soleat. — Longius foret si auctorem sequeremur historiam indagantem: brevitur igitur contrahemus singula, quae hac de re exposuit.

Patrocini iura apud veteres apparent in necessitudine, quae intercedebat inter metropolin et colonias: verum et harum necessitudinum ratio erat diversa. Phoenicum coloniae, quae pleraeque longissime a metropoli remotae erant, nullo modo videntur ab iis pependisse 2). Carthaginenses contra qui colonias semper observabant, firmissimum in eas retinebant imperium 3). Apud Graecos metropolin inter et colonias videntur obtinuisse necessitudines tacito quodammodo foedere constitutae, similimae iuribus officiisque, quae postea inter recentiores populos ex eiusmodi foederibus exstiterunt 4). Romanorum coloniae vix et ne vix quidem ad argumentum nostrum referri possunt, quum semper Romanae civitatis imperio subiectae manserunt 5): verumtamen patrocini foedera Romani saepius contraxerunt; huius generis sunt foedera quibus exterae gentes conveniebant in fidem populi Romani (quae longe diversae sunt ab iis, quae in P. R. fidem per deditionem recipiebantur) aut promittebant se maiestatem populi Romani comiter conservaturas 6).

1) Diss. laud. p. 3.

2) I. 1. § 2.

3) § 3.

4) § 1 et 4—12. cf. DE WAL, *Inleiding* cet. p. 221.

5) § 13—16.

6) § 17—23. Quod auctor etiam ad hunc locum refert ius patronatus in ipsa urbe inter patricos et plebeios, et extra urbem inter gentes urbesve socias et patronos Romae degentes, vix ad patrocini foedera pertinere videtur. Egregia est auctoris disputatio (§ 21) ad legem 7 § 1 et 2. ff. *de captiv. et postlim. reversis*. De Rom. coloniis insuper cf. DE WAL, *Inleiding*, cet. p. 222 et quem ibi laudat BARBEYRAC ad GROT. II: 9. § 10.

Quod ad medium aevum attinet ¹⁾, initio patrocini foedera nulla inveniri non est quod miremur, tum ob invasionem gentium barbararum quae totam turbavit Europam, tum ob regimen feudale: post vero «Cruciatas expeditiones» eo saepius contrahebantur, inprimis in imperio Romano-Germanico, quum alius regiminis feudalis, quod nusquam alibi tantam habuerat auctoritatem, imminuere coepit efficacia. Omnium deinceps Europae gentium in alias patrocinia suscepta usque ad finem saeculi XVII tractat auctor: nostrates ²⁾ unici fere fuerunt qui se abstinerunt ab aliarum Europae gentium patrocinio suscipiendo, neque unquam ut tale quid fieri posset nostrae reipublicae ratio fuit: aliter tamen se res habet in India Orientali ubi longe illis gentibus, quae coloniis nostris vicinae sunt, antecellunt. Ibi igitur recte potuerunt patrocinium exercere; et observandum est horum foederum condiciones vulgo eiusmodi esse ut nationes orientales sub patrocini nomine re vera nostratum imperio subiiciantur.

Saeculo insequenti XVIII nulla fere occurrunt patrocini foedera, cuius rei ratio forte petenda est e doctrina *aequilibrii politici*, quae inprimis in Europa invaluit aetate Ludovici XIV: contra huius enim consilia universae dominationis inibant populi debiliores plerique et saepius quidem cum potentioribus foedera mutui auxilii et adiutoria (*of- en defensiva alliantien*) ac quum hoc modo tuti essent ab aggressionem fortiorum, patrocini pactis illa aetate non fuit opus ³⁾. At vero exeunte saeculo superiore post rerum conversionem Francicam propria quaedam erat Napoleontis agendi ratio, qui regiones, quas suo imperio iungendas non existimabat in tutelam ac patrocinium suum recipiebat, quo facilius iis imperaret ⁴⁾. Haec autem a Gallis

¹⁾ Vide totum caput II.

²⁾ Vide § 21.

³⁾ Caput III. § 1. — De aequilibrii politici ratione ac historia, deque Ludovici XIV consiliis referre liceat ad dissertationes historico-politicas inaugurales G. VAN HOGENDORP, *de Guilielmo III, Principe Arausiaco, libertatis Europae contra dominationem Gallicam Vindice*, L. B. 1810, et A. J. VAN DER HEIM, *de Antonio Heinsio Consiliario*, L. B. 1834.

⁴⁾ § 2.

inita foedera auctor ordine recenset ¹⁾, hisque addit nonnulla de patrocínio Saxoniae et Borussiae in urbem Dantzig, Austriae, Borussiae et Russiae in urbem Cracoviam, Angliae in insulas Ionicas ²⁾, et tandem monet de recentiorum omnium coloniis hic sermonem esse non posse, quia provinciae sunt patriae quae eas emisit ³⁾.

In parte II dissertationis patrocínii foedera et necessitudines quae inde extiterunt, aestimantur ex iuris publici ac gentium praeceptis. Praemonitis paucissimis de foederibus universe (quorum mentionem supra iam fecimus) recte docet ad inaequalia pertinere ea quae de patrocínio agunt ⁴⁾. Disputatio vero quum ad foedera ineunda opus sit utrorumque paciscentium consensu, patrocínium sine gentis clientis voluntate constitui possit, ab auctore nostro rectissime ita ad finem perducitur ut facto quidem concedat idque probante historia, posse: iure tamen id fieri neget, quia si liber debilioris gentis consensus desit, nullius amplius efficaciae est foedus: verum patrocínium obruditur vi imperii et potestatis ⁵⁾. Inde igitur prorsus necessarie sequitur illi populo cui id hoc modo impositum est, summum esse ius, quum potest, eo se ipsum liberandi. In sequentibus ⁶⁾ varia exponuntur patrocínii genera, quae hic non enumerabimus, ad nostrum enim argumentum multo magis spectant, quae reperiuntur capite II et III de populi clientis et patroni iuribus et officiis mutuis. Atque universe hoc constat, ex ipsa rei natura patroni officia unice referri debere ad alterius tutelam et patrocínium, igiturque multo arctius esse circumscripta, quam clientis qui pro patrocínio gratum animum significare et pro viribus patroni commodis prospicere tenetur. Verum haec naturalia officia coarctantur aut extenduntur ipsius foederis legibus. Varia, quae ab utraque parte stipulari possunt ipse auctor affert, ut propter

¹⁾ § 3—9.

²⁾ § 10—12.

³⁾ § 13.

⁴⁾ p. II. cap. I. § 1, 2.

⁵⁾ § 3.

⁶⁾ 4—9.

patrocinium susceptum praestentur pecuniae: ut apud populum clientem milites conscribere liceat, vel ut hic in bello mittat copias auxiliares, ut utriusque gentis liberum sit commercium ¹⁾, liber commeatus, ut bellum commune non nisi utriusque populi consensu finiatur, similia ²⁾).

At patrocinii foedere nullo modo tolli potest populi maiestas: nullam enim aliam ob causam patrocinium populus paciscitur nisi quod vires sibi desint, quibus illatam vim arceat aut se ipsum ab intestinis discordiis defendat: atque etiamsi pro auxiliis tribuendis alteri quaedam praestare teneatur, manent tamen ipsius leges, manet facultas de suis rebus statuendi, manet arbitrium in belli et pacis iuribus, quod egregie exprimitur adagio: *„Schutz und Schirm geben keine Obrigkeit.“* ³⁾ Quum vero auctor dicit ⁴⁾ nonnullas foederum patrocinii leges, quae, ut docet historia, diversa continent, tamen veritatem eorum quae modo scripsit non tollere, in hoc ab illo discedendum videtur, quodsi aliquo patrocinii foedere *maiestas* populi clientis tollatur, tunc illam gentem non amplius censendam esse in patrocinium acceptam sed in deditionem populi fortioris redactam. Aliud quid tamen est num, salvo patrocinii iure, maiestas debilioris gentis *imminui* possit. Quid autem hoc significet iam olim dictum est: maiestatem minui dicit CICERO ⁵⁾, *„quando de dignitate aut amplitudine aut potestate populi vel eorum quibus populus potestatem dedit aliquid derogetur.“* — Verum hac in re auctor paullum haesitare videtur: in fine tantum capitis post multa duriorum foederum exempla allata, suam sententiam sic exprimit: *„posse omnino populum in praemium patrocinii sibi praestandi a iuribus quibusdam desistere, aut alii genti iura quaedam concedere etiam salva maiestate, licet saepius eiusmodi foederis conditiones addantur quae maiestatem illam salvam non relinquunt.“* ⁶⁾ Sic eam tolli putat

¹⁾ Cf. FLOOS v. AMSTEL, diss. I. p. 7—9.

²⁾ Vide cap. III.

³⁾ Cap. III. § 3 et cap. IV. § 1, 2. et GÜNTHER, *Europaisches Völkerrecht in Friedenszeiten* (1787—92.) Tom. I. l. I. c. 1. § 36.

⁴⁾ C. IV. § 3.

⁵⁾ *De Invent.* II. 17.

⁶⁾ § 7. in fine.

si populus debilior constringitur ut munimenta, turres, arces aut castra sua alteri genti in perpetuum praesidiis ipsorum cingenda, occupanda, asservanda permittat: salvam tamen eam manere, licet aliquantulum minuatur, si populus patronus milites in alterius mittat imperium per certum tempus aut ad certum finem, non ut perpetuo maneant, neque ut gentis defendendae libere agendi facultatem tollant ¹⁾. Profecto haec omnia recte sese habent, verum ut nobis videtur res etiam paullum ulterius urgenda est, ac dicendum, tum quum etiamsi unum tantum ius maiestatis tollatur, aut plura gravius minuantur, non amplius de patrocínio sermonem esse posse.

In ultimo dissertationis capite auctor agit de modis quibus tolluntur eiusmodi foedera. Admonet quam brevissime primum quos cum omnibus aliis foederum generibus communes habent, deinceps demonstrat patrocínium etiam finiri si gens patrona tutelam non praestat, si patronus iura et incolumitatem populi alterius violat, si gens cliens officiis prorsus se substrahit ²⁾; tandem egregie probat populum patronum paulatim iura sibi arrogando quae e foedere ei competunt omnino non posse sine expresso consensu populi clientis ipsum in hunc populum summum imperium acquirere ideoque patrocínii iura tollere: verum si illud summum imperium usurpaverit, alteri summum ius esse se in libertatem vindicandi ³⁾.

Atque ita operis conspectu absoluto non possumus non auctorem (praematura morte iam dudum ereptum etiam iuris gentium studiis) laudare quod tam praeclaro modo argumentum tractaverit, quod primariam profecto partem in gentium iure obtinet. Quod imprimis gratissimum nobis esse debet quia de hac materia pauci alii egerunt scriptores: ipse enim auctor confitetur: „si de veterum coloniis disputans in scriptorum copiam inciderit, se in reliqua dissertationis parte contrarium esse expertum, quum perpauca se ei obtulerunt quae de foede-

¹⁾ § 4 et 6. Postremi huius casus exemplum, nisi fallor, habemus nostro tempore in ratione militari, quae intercedit inter Galliam et civitatem Ecclesiae.

²⁾ Cap. V. § 2—4.

³⁾ Ibid. § 5.

ribus patrociniis inter populos initis ex industria egerunt scripta ¹⁾." Nonnulla quamvis reprehensione quadam digna videntur (v. c. quum patrociniis foedus definit "*conventionem qua alia gens validior atque fortior alteram minus fortem in patrociniis suum recipit* ²⁾," summo iure diceret quis hoc esse definitionem per orbem, quum ea non explicetur quid illud ipsum patrociniis significet), tota tamen haecce disputatio tam egregie conscripta est ut auctorem ostendat non tantum optime versatum in argumento, quod sibi exponendum proposuerat, et strenue aliorum de rebus quas attingit sententias ponderantem, sed etiam eiusmodi ingenii ut patriae optima quaedam ab eo exspectanda fuerint ³⁾.

Ad foederum ius non sine iure appendicis loco referri possent quae iuris sunt de sponsionibus ⁴⁾. Verum quum nostrates non multum de eo argumento egerint, neque id ad *primarias* iuris gentium partes deducendum esse videatur, iis supersedebimus: graviora nobis restant tractanda.

CAPUT II.

DE LEGATIS EORUMQUE IURIBUS.

Accedemus iam ad nobilissimum in iure gentium argumentum, quod inprimis in patria nostra accuratissime pertractatum est, et ita quidem ut exteri auctores, qui hanc materiam attingunt, ad unum omnes inaedificare soleant fundamento, quod posuere

¹⁾ p. 5.

²⁾ P. II. cap. 1. § 3.

³⁾ Valde miramur quod VON MOHL (op. l.) qui tot alias commemorat dissertationes, quae hocce saeculo in patria nostra prodire, huius speciminis ne mentionem quidem fecerit.

⁴⁾ » Sponsio est conventio publica quae a ministro summae potestatis circa negotium ad eandem spectans sine ipsius mandato initur." GROT. II. 15. § 15; MOEST, l. l. § 16, 17.

nostrates; saepissime immo vertunt aut transcribunt, quod in eorum operibus iam dudum conscriptum erat ¹⁾). Nostratum autem doctorum virorum qui sive de legatis universe sive de nonnullis eorum iuribus opera conscripsere, magnus est numerus. Qui GROTII in sententias ubique fere pedibus iere, VITRIARIUS et HEINECCIUS, paucissimis, sicut et ipse GROTIUS de hoc argumento defunguntur: NOEST vero in hac materie copiosissimus est ac longe extra GROTII fines procedit. HUBERUS in capite de legatis, „compendiarium suam scriptionem” non ablegavit: neque GRASWINCKEL multum hac in profecisse dici potest. Quum vero WICQUEFORTIUS suas edidisset „*Mémoires touchant les Ambassades*” et mox idem opus sed valde auctum, nova forma induisset eique novum titulum praeposuisset; quum deinde BYNKERSHOEKIUS novam in hoc argumento monstrasset viam et copiose doctissimeque egisset *de foro legatorum*, nec minus eleganter in libro II *Quaestionum Iuris Publici* de aliis nonnullis eorundem iuribus: quum BARBEYRAC eruditis annotationibus ad capita GROTII et PUFENDORFII *de legatis* uti etiam ad BYNKERSHOEKII laudatum opusculum ad huius iuris gentium partis cognitionem multum profecisset, ingens per totum saeculum XVIII exstitit scriptorum numerus qui inprimis in dissertationibus inauguralibus denuo semper eadem fere repetivere: quid etiam aliud hac in re facere poterant nisi ut BYNKERSHOEKII, GROTII, WICQUEFORTII aliorumque ratiocinationes, argumenta, effata, referrent, inter se comparerent, et approbarent aut refellere conarentur? Omnes hosce commemorare alienum est a nostro proposito; praecipuarum

¹⁾ Operae pretium est hoc ipsum videre apud PHILLIMORE in op. l. II. p. 134 sqq. qui quum ubique accuratissimus est in fontibus laudandis ad quamvis fere dixerim huius argumenti particulam testes citat GROTIUM et BYNKERSHOEKIUM. Dolemus autem quod nobis copia facta non sit libri Germanici auctoris ALEX. VON MIRUSS, *das Europaeische Gesandtschaftsrecht*, Leipzig 1847 (de quo cf. VON MOHL op. l. p. 407) quo PHILLIMORE etiam diligenter usus fuisse videtur. Nec minoris pretii BYNKERSHOEKII, BARBEYRACI et WICQUEFORTII de legatis scripta fecit MERLIN in magno opere *Répertoire de Jurisprudence*, in voce: *Ministre Public*. (ed. Brux. Tom. XX p. 247—320.)

harum dissertationum scriptorum his et illic mentionem faciendi copia nobis praebebitur ¹⁾). Illos vero quos summos hac in re auctores nominavimus duces sequemur, quidque illi in hoc argumento praestiterint, inquiremus. — Vix opus est dicere nos nullam rationem habituros de iis, quae in argumento de legatis tantum pertinent ad caerimonias inter gentes usitatas aut ad modum negotiationes gerendi: hoc enim pertinet ad artem diplomaticam, non ad ius gentium ²⁾). Ut autem recte et ordine inquisitionem nostram instituamus, primum de ipsis legatis dispiciemus deque eorum munere, deinde de iuribus quae iis competunt (sanctimoniae, fori, cet.), denique de eorum comitibus et variis in legatione iuribus observandis: initium faciemus variorum de illis auctorum sententias referendo, deinde singulorum merita in epilogo exponemus.

§ 1. *De legatis eorumque munere.*

Iam saepius in superioribus indicavimus ex iure naturae constare ius esse civitati eodem modo ac privato cuidam nuntium delegandi: at iure gentium civitatibus insuper ex usu

¹⁾ Ordine chronologico quas de legatis legationumque iuribus reperire potui dissertationes academicas hic subiungam: LUDER SCHOENE, *De sanctitate legatorum*. L. B. 1697; CASP. IGN. AB ELCOMA, *De legationibus*. Gron. 1698; I. A. V. EGMOND V. D. NYENBURG, *De iure legationum*. L. B. 1716; I. M. VON HEMERT, *De legationum iure*. Trai. 1717; E. OTTO, *De iuribus legatorum*. Trai. 1727; I. G. VAN GERSDORFF, *De legationum iure*. L. B. 1730; A. CORNETS DE GROOT, *De legati legationumque iure*. L. B. 1731; I. H. LOHMANN, *de Diversis mandatorum genere, quibus legati constituuntur*. L. B. 1750; A. VISSER, *De legato iure gentium sancto*. L. B. 1751; I. HOOGEVEEN, *De legatorum origine ac sanctimonia*. L. B. 1763; M. VAN SCHELTINGA, *De legato legationumque iure*. Trai. 1764; P. I. TEDING V. BERKHOUT, *De iure legatorum*. L. B. 1774; A. I. DE SUNDRA VELTMAN V. SLOGTEREN, *De iure legatorum*. Gron. 1800; HUGO VAN ZUYLEN V. NYEVELT, *De munere legatorum*. Trai. 1803.

²⁾ Sic v. c. WICQUEFORTIUM non sequemur, quum exponit opus esse ut legatus certum habeat annum aetatis, utque non nimis humili loco natus sit, neque quum indicat quomodo negotiationes a legato gerendae sint, quam vestem cum habere oporteat, quot sumtus facere debeat, cet.

ius esse natum legatos *assiduos*, sive ut etiam dicuntur *ordinarios*, ad alias gentes mittendi ¹⁾). Quum autem dicitur (et omnes in hoc amice conspirant) neminem legatum mittere posse nisi qui summum habeat imperium, iam patet sermonem esse non de *potentia* sive *viribus*, verum de *iuris facultate*, i. e. sanctimoniam aliaque quae iure gentium legatis conceduntur iis tantum tribui posse qui a summo imperante missi sunt. Unde etiam factum ut nostro tempore hi tantum *legatorum* nomine intelligantur ²⁾). Recte igitur WICQUEFORTIUS demonstravit ³⁾) ius gentium non esse violatum cum a^o 1566 legati ab Ordinibus Generalibus et MARGARETHA Parmensi in Hispaniam missi (IOANNES MONTIGNIACUS et IOANNES Marchio Bergarum ad Zomam) ibi retenti atque interemti sunt: hi enim Hispaniae adhuc subditi et igitur tamquam legati provinciales considerandi erant. Eandem ob causam BYNKERSHOEKIUS quamquam reprehendit HUBERUM, contendentem gentes liberas Belgarum recte legatos mittere et accipere, iisdem tamen Belgii Foederati provinciis ius illud ex iure gentium concedit, quod ad ea quae sui iuris suaeque potestatis sunt, non vero quod ad ea, quae ad commune foedus pertinent ⁴⁾). Nonnulli quaerunt utriusque partis in bello civili ab exteris sint admittendi legati, et quid de usurpatoribus statuendum? Verumtamen de ea re vix aliquid certi statui posse videtur:

¹⁾ BYNK., *de foro legatorum*. c. I.; NOET, op. l. II. 18. § 1; H. VAN EUYLEN V. NYEVELT, diss. l. p. 3, 4; A. C. SNOECKAERT VON SCHAUBURG, *Diss. de legatis rebusque ab his agendis*. p. 5—8. Trai. 1827. Huius dissertationis laudabilem mentionem fecit VON MOHL op. l. p. 407.

²⁾ HUBER, op. l. III. S. IV. c. II. § 23; GRASWINCKEL, II. 16^a § 5, 6; BYNKERSH., *Q. I. Publ.* II. 3; NOEST, l. l. § 2. Acute hac de re scripsit E. LUZAC ad WOLFFII *Inst.* § 1233. »Tous ceux qui sont vis-à-vis de l'autre dans l'Etat naturel ont le droit de s'envoyer mutuellement des Ambassadeurs, parce qu'ils ont le droit de se communiquer leurs désirs; à nous qu'on ne veuille donner le nom d'Ambassadeurs, qu'à des Envoyés d'une nation à l'autre; mais alors la question se réduit à la demande si on a le droit de se faire représenter par un ministre public.»

³⁾ *l'Ambassadeur et ses fonctions*. I Sect. 2 l. l. PHILLIMORE, II. 144.

⁴⁾ HUBER, l. l. § 5; BYNK., l. l. c 4; FETTEL, *Comment. de Rep. Bat.* § 356.

« si in bello civili pars altera *multo* sit inferior, rebelles potius quam adversa pars habeantur. » At si rebelles fiunt potentiores, si civitas in duas rescinditur partes quae fortasse nunquam deinceps in unum populum redibunt et coalescent, necessitas ius facere potest: et igitur (licet cautissime hac in re sit agendum) nonnunquam civitas una pro tempore quasi duae gentes habenda, et utriusque, ut pax restituatur, legati admittantur 1). » « Quibus indubitatum est principem, qui legatum mittit, esse usurpatorem, hi certe recusandi ius habent. » Verum ut pax inter gentes servetur plerumque factum et possessionem sequuntur 2).

« Non omnes legatos admitti praecipit gentium ius sed vetat sine causa reiici. » Huic a GROTIUS 3) profectae regulae omnes fere deinde suffragati sunt iuris gentium interpretes 4), neque multum inter se differunt de causa reiiciendi, quam triplicem esse docent: « ex eo qui mittit, ex eo qui mittitur 5), ex eo ob quod mittitur. » Exsul ad eum a quo exsulat legatus recusari immo finibus illius Principis excedere recte iuberi et nisi excesserit iniecta manu deduci posse, contendit BYNKERSHOEKIUS 6), quamquam alii negant: auctor hoc affert suae opinionis argumentum quod exsilium exsuli impositum prius fuerit iussum quam

1) VITRIAR., II. 18; NOEST, I. I. § 2; cf. PHILLIMORE, II. 143 sqq.

2) HUBER, I. I. § 4, 6; VITRIAR. II. 18. § 6, 7; HEINECC. II. 18. § 2; WICQUEFORT, I. 3; vide inprim. p. 55: (usus sum editione quae prodit. Hag. Com. 1724) » si jamais on a vu dans quelque Etat un chef qui fut ensemble et Tyran et Usurpateur ç'a été Olivier Cromwell, et néanmoins jamais usurpateur n'a été si solennellement reçu. » Mutatis mutandis nuper idem fieri vidimus post illum diem secundum mensis Decembris!

3) De Iure B. et P. II. 18. § 3.

4) VITRIAR. I. I. § 9 et 10; BARBEYRAC ad BYNK., VIII. § 3; HEINECC., I. I. § 3; NOEST, I. I. § 3; BYNKERSH., Q. I. P. II. c. 5; HUBER, I. I. § 10; CORN. DE GROOT, diss. I. c. III; PHILLIMORE, II. p. 147, sqq.

5) Quod ad hanc reiiciendi causam attinet, videtur WICQUEFORTIUS nimis leviter scripsisse in cap. *L'Ambassadeur doit être agréable* (I. 13) « Le même droit des gens qui ne permet pas qu'on fasse violence ou outrage au ministre public qui a été admis et reconnu, permet aux princes de ne point admettre un ministre dont ils puissent recevoir du déplaisir. »

6) II. 7. et de Foro Legatorum. c. XXII.

mandatum quod legatus acceperit a principe leganti ¹⁾. — An mulieribus legationes obire liceat, vix dignum nobis videtur ut multum curemus. Nostro tempore gentium mores et consuetudo huic rei repugnant neque multum facit ad rem quod duo plurave exempla ex historia afferri possint, mulierem ²⁾ legati munere esse functam.

Maioris momenti est an Principi liceat in alterius terris huic alteri Principi subiectum quaerere atque illum legatum nominare. WICQUEFORTIUS contendit ³⁾, idque permultis exemplis probat, gentium usum nullam fere dubitationem relinquere quin recte fieri possit: neque tamen *usum* tantum affert, argumentatur etiam ex ratione quod unicuique naturale ius sit patria migrare, seque in alterius Principis ditionem recipere: ac nil aliud nisi hoc facere illum qui accipit alius Principis legationem ⁴⁾. Impugnat hanc ob causam decretum quoddam Ordinum Generalium (10 Oct. 1727) ne quis legatus acciperetur in finibus Reip. natus aut eius legibus ex domicilii constitutione subiectus, exceptis tamen legatorum externorum liberis in Belgio natis non alienigenis, qui reip. militassent eorumque liberis ⁵⁾. Non tamen cum WICQUEFORTIO dicere audemus hoc Ordinum decreto ius gentium fuisse violatum: certe durum erat et satis inhumanum erga exteras gentes: at cum Principi conceditur ius reiiciendi legatos, qui ad eum mittuntur, nisi

¹⁾ Non spernenda quae BARBEYRAC ad alterum BYNK. locum adnotat: « ou le Prince savait le bannissement et en ce cas là il ne devait pas envoyer une telle personne, ce que l'on pourrait regarder comme un outrage, ou il ignorait les défenses faites au banni en ce cas là il peut lui même prendre à outrage que cet homme ne lui ait pas dit une chose, qui s'il l'eut sue, aurait du l'empêcher de l'envoyer en ambassade dans un Etat où son ministère ne saurait lui être utile par cette seule raison. » — NOEST (l. l. § 3) haud illepide exemplum laudat ipsius GROTHI qui quum e patria exsul esset a Sueciae regina in Galliam missus est legatus: qui tamen si ab eadem ad Ordines Gen. delegatus fuisset, summo iure ab iis recusari potuisset.

²⁾ BYNK., l. l.; WICQUEFORT, I. 1; NOEST, l. l.

³⁾ l. Sect. 11.

⁴⁾ Cf. BYNK. *Q. I. Publici* l. 22.

⁵⁾ PESTEL, *Comment. de Rep. Bat.* § 435.

fallor etiam ei erit ius dicendi quam ob causam hunc illumve legatum accipere nolit. Verum hoc sit exemplum illius regulae, quam iam saepe in superioribus posuimus, unicuique genti ius esse edicendi se aliarum gentium usu non amplius velle teneri, modo hoc diserte et palam enuntiet: nam si in nostro exemplo Ordines Gen. Belgam quendam ad se legatum eandem ob causam reiecissent, antequam de eiusmodi decreto aliquid patuisset, summam commisissent iniustitiam, quum iure censerentur communi gentium usu obligari ¹⁾. — Quum ita constet qui ex iure gentium legati mitti possint, quique recte mittant, vix opus erit adiiicere, iisdem tantum competere ius legatos accipiendi quibus etiam competit ius mittendi ²⁾. Potius videamus, quid ex iure gentium legati facere possint, quid facere nequeant. Supersebibimus autem demonstrare legatum nil agere posse apud exteros, nisi habeat *litteras credentiales* ³⁾ quae dicuntur, quamquam negamus (quam ob causam mox apparebit) iura sanctitatis atque inviolabilitatis tum demum valere quum litteris illis traditis Princeps ad quem mittatur eum agnoverit ⁴⁾, neque opus esse ut Princeps, qui mittit legatum, huic det quod vocant instructionem ⁵⁾: haerebimus tantum in quaestione saepissime agitata in iure gentium, quousque valeat legati mandatum, sive an legato mandatum excedere liceat, an id quod legatus ex mandato egerit Principem civitatemque mittentem statim obliget.

Et quidem diligenter distinguendum est hac in re: *instructio* enim, quam sic vocant est mandatum arcanum quod non exhibetur, "continens praecipua capita et quemadmodum de iis

¹⁾ Non puto nostro tempore eiusmodi decretum apud ullam Europae civitatem facile inveniri posse: nos certe peregrinos legatos et mittimus et accipimus.

²⁾ WICQUEF. I. 6.

³⁾ BYNK., *Q. I. P.* II. 7. non satis observasse videtur quid intersit inter *litteras credentiales* et *mandatum speciale (Pouvoir)*. Illae enim a legato perpetuo praestari debent, hoc ab eodem si negotiationes de aliqua re incundae sunt. Mandatum igitur illud speciale est littera credentialis ad unum tantum negotium conficiendum. Melius haec distinxerunt WICQUEFORT et GRASWINCKEL, l. I. § 10—15.

⁴⁾ Quod statuit WICQUEF., I. 15.

⁵⁾ WICQUEF. I. 14.

licitandum sit:” rerum igitur agendarum formam recte dixeris. Alterum mandatum (*pouvoir*) publicum est et fere nihil aliud continet quam agendi *potestatem*: vulgaris huius formula est, id quod cum illis legatis actum erit ita valiturum atque si cum ipsis Principibus esset actum, idque omnimodo, ratum sese esse habituros ¹⁾).

Quaeri autem solet an valeat quod legatus egerit ex eiusmodi publico et generali mandato, quod ipsum tamen adversetur mandato eius arcano. BYNKERSHOEKIUS multa hac de re disputat contra GROTIUM aliosque: at idem docet hanc disputationem non magni esse momenti cum ex moribus gentium constat mandatum publicum nunquam fere pugnare posse cum arcano, quia illud tantum praebet potestatem agendi: insuper legatum qui Principis sui voluntati diligenter obsequitur non facile contempturum esse mandatum privatum, si in dubiis haeret, Principis consiliis de novo potius consulturus ²⁾). Aliud insuper animadvertendum, quod nempe in iure gentium recentiorum saeculorum invaluit ne foedera et pacta a legatis inita (licet congrua Principis mandatis) valerent, nisi accessissent Principum ipsorum ratificationes ³⁾). Neque ut recte monet WICQUEFORTIUS Principes facile ratificationes negabunt quum hoc esset stigma imponere ipsorum legatis, quippe qui Principis voluntatis nullam habuissent rationem: atque etiam tum cum legatus fortasse egerit contra arcanum mandatum, Principem id ratum facere oportere, si publicum mandatum nullis finibus sit circumscriptum ⁴⁾).

Restat ut dispiciamus quando legati munus finiatur. Et primum quidem eius functiones cessabunt sicut omnium privatorum quum negotium, ad quod conficiendum missus fuerit, peractum erit. Idem autem locum obtinere per se patet quum a Principe revocatur et quum, si ad tempus nominatus sit, temporis

¹⁾ BYNK. l. l.

²⁾ Cuius rei nuperrime etiam luculentissima exempla exhibuit congressus Viennensis recentior.

³⁾ BYNK., l. l., WICQUEF., l. 16. II. 15; PESTEL, § 355.

⁴⁾ Cf. H. VAN ZOYLEN V. NYEVELT, diss. l. c. III. quod inscribitur » *De restricta magis et libera potestate legatorum.*”

illius spatium praeterierit. Deinde aequae cessat mandatum quum alteruter Princeps (mittens an accipiens) diem obiit. Quod vero WICQUEFORTIUS addit legatum legatione fungi desinere quum Princeps, qui eum misit, laeditur aut quum hostilitates erumpunt, eo modo tantum verum est quod ob eas causas legatus revocari soleat, non quod ipse ultro munus deponere possit, quod patet iam ex multis exemplis quae ipse eodem loco affert ¹⁾).

§ 2. *De iuribus, quae legatis competunt* ²⁾).

Iam pervenimus ad unam ex elegantissimis iuris gentium partibus, in quam diligenter inquirere operae pretium est, quam autem nostrates ita excussere ut exteri nihil fere novi hac de re proferre potuerint, imprimis postquam BYNKERSHOEKIUS totum argumentum accuratissime pertractaverat in opusculo auro contra caro *de foro legatorum* et sic doctrinae suae copia compleverat "perpetuam exemplorum texturam, non omnium aequabili, ut in factis innumeris amat fieri, circumstantiarum fide" ³⁾ a WICQUEFORTIO iam antea publici iuris factam.

Iura autem legatorum duo sunt praecipua: *ius sanctimoniae* et *ius fori privilegiati* ⁴⁾; BYNKERSHOEKIUS in utroque nobis

¹⁾ WICQUEF. I. S. 30.

²⁾ Cf. SNOECKAERT v. SCHAUBURG, diss. l. p. 124 sqq. et latius P. SIX TOT OTERLEEK, *de sanctitate legatorum*. L. B. 1828.

³⁾ HUBER, l. l. § 20.

⁴⁾ PHILLIMORE, II. p. 156. "The status which International Law ascribes to those who are sent and to those who are received as embassies is composed of *rights stricti iuris* resting upon the basis of natural law and therefore immutable and of *privileges* originally not immutable but so rational in their character and so hallowed by usage as to be universally presumed, and to become matter of strict right if their abrogation had not been formally promulgated (a case almost inconceivable) before the arrival of the ambassador. The former are usually described under the title of *inviolability*, the latter under the title of *extritoriality*." Libenter profiteor me hunc auctorem in hacce paragrapho valde secutum esse, ac si quis mihi unquam hoc quasi vitio vertat, respiciat velim an per praecipua nostratium scripta ullum meliorem ducem eligere potuissem? Praeterea apparebit me etiam in nonnullis ab eo dissentire, meque GROTH in patria nostra successores magis etiam quam fecit ille exhausisse.

erit optimus dux. Ad sanctitatem legatorum pertinet nempe quaestio de foro *criminali*; forum privilegiatum actiones *civiles* tantum spectat. Atque hanc distinctionem magni pretii esse ducimus. Etenim inter omnes, qui de legatorum sanctitate scripserint, semper acerrima fuit contentio utrum haec derivanda esset ex iure naturae an ex iure gentium: qui autem hoc prorsus negabant, ut per se patet, ad ius naturae provocabant: qui vero ius gentium agnoscebant tamquam partim etiam ex usu et consuetudine gentium natum, strenue contendebant iura illa legatorum inde tantum explicari posse ¹⁾. Apud utrosque veritatem esse quaerendam egregie exposuit BYNKERSHOEKIUS in cap. V ²⁾ opusculi *de foro legatorum*; postquam enim indicaverat iura legatorum ad legatos cuiuscunque ordinis et dignitatis esse porrigenda ³⁾: forum competens in unaquaque re aestimari oportere ex sola subiectione sive personae sive rei ⁴⁾: Principem — peregrinantem nempe, non ex animi sententia domicilium mutantem — quum etiam in alterius imperio, quod ad suum principatum attinet, iura quae maiestatis vocantur exercere possit, nullo modo censendum esse subditum alterius Principis fieri igiturque in huius territorio forum non sortiri, verum si ius hospitii violet iuberi posse finibus excedere, quae res tamen non est transigenda sine magnis cautionibus ⁵⁾; at bona eius in alterius finibus sita perinde habenda esse ac bona privatorum ⁶⁾: — quinto illo capite primum longam enumerat seriem eorum qui ad satietatem usque complura de legatorum sanctitate congesserunt, deinde eandem rem suo modo tractare incipit. «Quum sanctum id sit, inquit, quod ab iniuria hominum defensum atque munitum est ⁷⁾, dicendum videtur sanctitatem id legatis praestare ne dicto factove eos offendere liceat, quia imaginem Principis sui ubique circumferunt, quia pacis

1) Vide GERSDORFF, diss. I.; NOEST l. I. § 4; HUBER, l. I. § 11; WICQUEF. I. 27.

2) Quod inscribitur *de legatorum sanctitate*.

3) Op. I. c. I; WICQUEF., I. 7; HUBER, l. I. § 7.

4) Cap. II.

5) C. III; VITRARIUS, l. I. § 11.

6) C. IV.

7) FESTUS, in v. *sanctus* et l. 8. Pr. ff. *de rerum divisione*.

et foederis nuntii sunt ac proxenetæ, et sine his gentium societas et beata quies salva esse nequit: hoc autem legatis sanctitas praestat prae ceteris, quod in eos, qui legatos male habent severius animadvertitur:” immo iniuria qua legatus afficitur iustam belli causam praebere potest. — Illam autem sanctitatem apud omnes populos inprimis apud Romanos ¹⁾ ad ius gentium referri diserte docet: quum autem constat Romanos ius gentium vocare quod ius naturæ nos dicimus, iam apparet hoc legatorum ius ex ipsis iuris naturalis praeceptis derivandum esse.

Sed videamus quæ BYNKERSHOEKIUS mox adiiicit: „sanctitas personæ neminem eximit unquam iurisdictione magistratus cui subditus est is de quo agitur. Alia ergo quaerenda ratio quæ legatis tribuat privilegium fori, et hanc reperies si memineris eam esse legatorum conditionem, ut moribus constanter videatur receptum, legatum non esse eius ad quem missus est subditum, sed manere eius qui misit, ideoque nullo eius apud quem legatione fungitur iudicio, sive de debito sive de crimine agatur, censi obnoxium. Ex gentium consensu cum expresso, tum tacito ostendam, ex eo quod quis legationis causa abest domicilium mutatum non videri.” Secundum BYNKERSHOEKIUM igitur *privilegium fori* nititur iure gentium ut ita dicam positivo ²⁾, *sanctitas* iure gentium naturali. Errat tamen ex nostra opinione quum illud *privilegium fori* extendit ad causas criminales: verum quidem est legatum neque civiliter neque criminaliter conveniri posse in eo imperio in quo legati munere fungitur, at inter causas civiles et criminales hoc interest, quod illa actio contra eum institui possit etiam donec manet legatus, modo instituat eum loco ubi domicilium habet, hanc vero non nisi prius legatione cesserit sive ultro sive coactus. Sive aliis verbis, sanctitas legati inprimis id spectat quod propter nullum crimen tamquam legatus conveniri possit, vero eadem illa sanctitas nihil commune habet cum foro civili, nisi quod

¹⁾ POMONIUS, in l. ult. ff. *de legationibus*. (L. 7).

²⁾ Recte BARBEYRAC in not. 1. ad BYNK. V. § 6: »le Privilège, qu'ont les Ambassadeurs à cet égard n'a aucun rapport avec l'origine de leur inviolabilité.”

privilegium huius fori moribus inter omnes gentes usu constitutum sit, ut sanctitas eo magis sanciat. Atque ita iam pervenimus ad ipsum illud discrimen quod in huius paragraphi initio posuimus, de quo nunc accuratius nobis erit agendum; videamus igitur primum de sanctitate deque foro criminali, deinde de privilegio fori civilis ¹⁾.

In argumento de legatorum sanctitate classicus est locus E. LUZACII: WOLFFIUS enim ²⁾ ex eo quod legatus Principis imaginem secum circumferre ducatur contenderat, illum in publicis rebus tantum eam dignitatem habere, in privatis vero, et igitur etiam in causis civilibus et criminalibus, subiectum esse iurisdictioni loci ubi degit. Contra hanc doctrinam, quae si admitteretur magnopere turbaret gentium iura et privilegia invicem concessa, acriter se opposuit LUZAC in docta annotatione nec tamen ab omni parte aequae recte. Legatos mitti docet ob necessitatem quandam commercii inter gentes, principes vero ipsos non posse apud exteros suas res curare; nec tamen principes legatos missuros fore nisi constaret eos apud exteros maiore iure fructuros quam alium quemvis peregrinum, atque infra civitatis dignitatem esse pati ut suus legatus aliquo modo subiiciatur alio imperio: principes denique ad quos mittuntur eo ipso quod legatos accipiant in hoc consentire. Verum quum feliciter hoc modo refellit WOLFFIUM, minoris pretii sunt ea quibus sibi videtur BYNKERSHOEKIUM refutare. Oppugnat nempe ipsum locum quem modo attulimus ³⁾ et inde conficit BYNKERSHOEKIUM contendere iura illa legato competere tamquam non subiecto imperio eius ad quem mittitur. At idem praetervidit eundem supra satis perspicue enunciasset (ut modo demonstravimus) eam sanctitatem niti ipso iure naturae. Eodem igitur redit uterque; nam quid aliud est quod LUZAC scribit legatos mitti quia principes ipsi suas res apud exteros curare

¹⁾ BYNKERSHOEKIUS totum caput VI tribuit doctae atque accuratae expositioni eorum quae iure Romano de utroque argumento tanta sunt. — Brevius quam rei gravitati par erat eadem attigit cons. K. VAN DEN BOSCH, in diss. *de sanctitate legatorum iure Romano*. L. B. 1852.

²⁾ *Inst.* § 1243.

³⁾ *De foro leg.* c. V.

non possunt nisi hoc ipsum „principis vice eos fungi?” Quod deinde adiicit ¹⁾ sanctitatem legatorum originem non ducere ex dignitate quadam mittentis idque etiam ex eo probat quod eodem modo sancti sunt qui v. c. a praedatoria gente mittuntur, nihil probat; nam si legatus, a tali gente missus, apud exteros tanquam legatus accipitur hoc ipso praedatoria illa gens agnoscitur tanquam civitas quae eadem habet maiestatis iura ac ceterae et nullus amplius sermo potest esse de dignitate ²⁾. A civitate autem accipienti unice pendere an gentem quae legatum mittit tanquam sui iuris agnoscere velit, luculenter docuit quod olim factum est de legatis, quos Ordines Belgii Foederati miserunt ad HENRICUM III Galliae regem ³⁾.

Sanctitas autem legatorum an etiam concedenda legatis transeuntibus? „Vulgo dici solet ius legationis non valere nisi inter principem qui mittit legatos et eum ad quem missi sunt, in ceteris privatos esse: benigne vero Ordines Generales edicto 9 Sept. 1679 hoc etiam tribuerunt legatis transeuntibus ⁴⁾.” Verum vix intelligo, quo modo dubitatio quaedam hac de re existere possit: omnino recte scripsit VITRIARIUS ⁵⁾ „non admissio demum legatum reddit sanctum et inviolabilem, sed securum tantum reddit nullam esse reiectionis causam. Principem enim suum repraesentat qui est instructus imperio ac maiestate quocunque loco est. Attamen sicut in territorio illius ad quem mittuntur non sunt sancti si hostilia moliantur, ita

¹⁾ Ad § 1244 WOLFFI *Inst.* — LUZAC autem hac in annotatione ipse sibi obloqui videtur.

²⁾ Eiusdem generis, hoc est ac v. c. quod (licet ceteroquin absit comparatio) Reipublicae Venetae, eo ipso quod arbiter nominata esset pacis Westphalicae, libertas palam agnita sit. Cf. DE WAL, *Inleiding.* p. 83.

³⁾ WICQUEF., I. 2.

⁴⁾ BYNKERSH., *de F. L.* c. IX. Memorabile Edictum Ord. Holl. de sanctitate legatorum, 27 Martii 1659, commemorat WICQUEFORT I: 27.

⁵⁾ *Instit.* l. l. § 14. — GROTIUS (*de I. B. et P.* II. 18. § 5) cuius sententiam etiam tuctur ROEST l. l. § 6, hoc loco adversatur VITRIARIUS, et summo iure opinor. Simile quid statutum fuisse iure Romano videmus in l. 5. ff. *de legationibus* (L. 7): »Legato tempus prodest ex quo legatus creatus est, non ex quo Romam venit.” Contrarium tamen defendunt HUBER, l. l. § 20 et WICQUEF., I. 17.

nec in territorio istius, ubi transeunt, si certum est hostem esse legatum, qui ad amicum aut confoederatum missus est ut istum sollicitet et in hunc tertium concitet." Neque his adversatur quod legatis abeuntibus a principe detur commeatus (*passport*) ¹⁾, hic enim tantum inservit transeunti tamquam litterae credentiales, ut illi per quorum fines transit, sciant eum esse legatum, atque igitur sanctum habendum.

Legatorum autem sanctitas praestat libertatem a vi et iniuriis; sic v. c. nullum arrestum imponi potest neque eius personae neque eius bonis, quoad inserviant ad legationem recte obeundam ²⁾. Quaeritur vero an domus quoque legati sancta habenda sit ³⁾. WICQUEFORTIUS affirmat, sed soli, inquit, legato eiusque comitibus, quia subditi Principis apud quem legatus degit nullo iure eximi possunt eius iurisdictione. Verum recte quaerit BYNKERSHOEKIUS quid tunc praestet illa sanctitas quum legatus eiusque comites (de quibus mox plura) unoquoque loco per se sancti sint: "sane, inquit, si ex ratione agamus, dubito an quidquam magis fatuum excogitari possit quam ius asyli legatorum aedibus tribuere. Pauca sunt adeo absurda ut non aliqua saltem ratione nitantur, hoc autem qua nititur?"

Dic aliquem, sodes, hic Quintiliane colorem."

Plura vero idem affert exempla ipsum illud ius asyli saepe tributum tum legati domui tum totis urbis regionibus quas legati habitabant ⁴⁾. Statuendum igitur videtur cum GROTIUS et qui eum secuti sunt interpretes, fieri posse ut nonnumquam Princeps legatorum domibus ius asyli tribuat, modo illud privilegium tum omnibus legatis qui apud eum degunt concedat; at iure gentium niti non videri ⁵⁾.

¹⁾ Cf. WICQUEF. I. 17. (*Des Passeports ou sauf-conduits*).

²⁾ BYNKERSH. de F. L. c. VIII.

³⁾ BYNK., de F. L. c. XXI. » Aedes legati an praebeant asylum ?"

⁴⁾ NOEST, l. l. § 8; cf. etiam GRASWINCKEL, l. l. § 29 sqq.

⁵⁾ Huc spectat Decretum Ordd. Gen. 25 Jun. 1663, » dat de Huysen of Logementen van Residenten alhier in den Hage geensints sijn exempt van recherche, soo wanneer men aldaar d'een of d'andere persoon met goed regt en fundament van wegen de overigheid of justitie soude willen atrapceren." (AITZEMA XI.III. p. m. 766.)

An praeter libertatem a vi et iniuria sanctitas etiam praebat libertatem a poenis delictorum? Hanc autem quaestionem egregie sic definit BYNKERSHOEKIUS ¹⁾: „impunitatem legis non defendimus nec scio an quisquam alius defendat ²⁾, sed si dum in legatione est, deliquerit, ubi accusari vel puniri debeat unice quaestionis est: nec minus hinc alienum est an non legatus, qui manu agit, manu repelli possit, sive publice agat sive privatim; quicumque enim vim intulerit semper vi repellere licuit, nec ulla est in legatis exceptio. — Crimina autem bifariam hic consideranda sunt: aut enim simpliciter committuntur contra societatem et tranquillitatem publicam ut crimen homicidii, adulterii et reliqua fere omnia, quae licet appellare delicta communia, aut committuntur contra Principem vel imperium eius ad quem missus est legatus, quae vulgo maiestatis et perduellionis crimina audiunt.” Prius agit de utilitate ad promovendam gentium tranquillitatem et quietem, quod legati non sint poena obnoxii ³⁾. — „Si dicas, iure gentium laeso, tolli legatorum privilegium, iam ex omnibus delictis puniri poterunt, ut recte observat GROTIUS ⁴⁾.” Deinde docet multos viros doctos hac de re in varias abire partes: „at si gentium consideres iudicia, ex his effici posse legatum ex nullo delicto in loco legationis accusari vel puniri oportere, sed rem transigendam esse his cautionibus, ut legatus iubeatur e finibus excedere, ut si crimen sit atrocius, mittatur ad eum qui misit, cum postulato ut eum puniat aut dedat ⁵⁾.” Quamvis enim aliquot sint exempla legatorum qui in republica ubi debebant poenas dederunt, tamen ex his exemplis ius gentium efficere non licet; nam aut in hisce aderant causae peculiare (v. c. quod tumultum excitassent vel res novas essent

¹⁾ BYNKERSHOEK, l. l. c. XVII.

²⁾ Pulchra hac de re exstat H. DE COCCHEI, qui et plura de legatorum iuribus conscripsit, dissertatio: *de legato sancto non impuni* (Francof. ad Viadr. 1699): quae etiam reperitur in eius *Exercitationibus curiosis*, II. N^o. 22.

³⁾ *Ibid.* c. VII.

⁴⁾ *Ibid.* c. XVII.

⁵⁾ *Ibid.* cf. GROT. l. l. § 4. N^o. 5, 6; ROERT, l. l. § 4 (p. 422); GRASWINCKEL, l. l. § 20 sqq.

moliti), aut dicendum ius gentium in iis turpiter fuisse violatum ¹⁾. Deinde exempla, quae in adversam partem afferri possunt, vincunt et numero et pondere ²⁾. Verissimum igitur est quod Hollandiae Ordines posuerunt in eo libello, quem a^o 1651 ³⁾ ediderunt, legatum etiamsi deliquerit, ex iure gentium detineri non posse ⁴⁾.

Ad alteram pervenimus partem quaestionis de *foro legatorum*, in qua etiamsi BYNKERSHOEKIUS multo longior sit, quam maxime tamen concinne eius aliorumque sententias exponemus. «Privilegium autem fori ab GROTIUS, WICQUEFORTIO aliisque ⁵⁾ male derivatur a sacrosancto legationis iure: persona enim sancta sola in ius vocatione non violatur. Ex gentium consensu cum expresso tum tacito ostendam, eo quod quis legationis causa abest, domicilium mutatum non videri ⁶⁾» — Hoc est fundamentum totius BYNKERSHOEKII de hac materia disputationis. Paucis praemissis de iure Romano demonstrat ex sola ratione in utramque partem disputari posse et disputatum esse de foro legatorum: curiam immo Hollandiae nunc his nunc illis argumentis plus tribuendum esse censuisse ⁷⁾; attamen singularem quandam rationem esse ⁸⁾ (de qua supra iam diximus) legatum nempe fictione haberi pro persona mittentis igiturque simili fictione ac Principem (de quo egit C. III) constitui quasi extra territorium, atque non fieri posse subditum eius ad quem mittitur sed manere peregrinum: peregrinum

¹⁾ Illustre atque omnibus fere in ore est exemplum quod et BYNK. commemorat et improbat (cap. XVIII) legati Lusitani, qui cum Londini hominem occiderat et fugerat in domum patris, in cuius comitatu erat, ab Angliae Protectore CROMWELL a^o. 1653 inde extractus et extemplo securi percussus est. Vide WHEATON, *Hist. du Droit des Gens* I. 287 sqq.

²⁾ Ibid. c. XVIII. Quod ad exempla attinet, refert ad WICQUEFORT, I. 27—29.

³⁾ AITZEMA, *Herstelde Leeuw*, p. m. 617.

⁴⁾ BYNK., op. I. XIX.

⁵⁾ GROTIUS, *de I. B. et P.* II. 18. § 14. Nec meliora scripsit VITRIARIUS, I. I. § 11.

⁶⁾ BYNK., *de F. L.* c. V.

⁷⁾ Quod WICQUEFORTIUS I. 27 tribuit iudicium imperitiae rerum ad ius gentium pertinentium.

⁸⁾ BYNK. *de F. L.* c. VIII.

autem nostrae iurisdictioni non subiici nisi interveniente arresto ¹⁾, quo iam vidimus per ipsam sanctitatem legatum liberari. Fictionem illam, qua igitur nititur tota haecce argumentatio, defendit gentium consensu ratam esse factam et provocat hac in re ad ingentem exemplorum copiam a WICQUEFORTIO ²⁾ et GROTIUS allatorum: nulla, inquit, inter Europaeas gentes est, quae legatos ordinariae subiecit iurisdictioni. Sicut tamen in universo iure regnant exceptiones, ita ne in hoc quidem negotio dicendum videtur nullos existere posse casus quibus legatus subiiciatur foro Principis ad quem mittitur. Neque opus est ut propterea cum HUBERO ³⁾ recurramus ad singularem legatorum improbabilitatem sive in aere alieno persequendo sive in delictis. Sic v. c. WICQUEFORTIUS ⁴⁾ contendit legatum ex contractu, quem coram notario et testibus celebrarat, subiici iurisdictioni ordinariae: BYNKERSHOEKIUS quidem non vidit ⁵⁾ cur magis ex hoc contractu solemni quam ex alio quovis legatus conveniri possit, et sane quaestio haec difficilior est: verum dubitarem an non omni contractu quem *sponte sua* et solemni modo legatus inierit, teneretur. — At meliora et certiora sunt quae ipse BYNKERSHOEKIUS affert. «Sic licet, inquit, in eorum regionibus ubi ob bona convenimur et ex eorum arresto forum sortimur, nullus dubito quin et legatorum bona arresto detineri et per hoc ipsi in ius vocari possint, ut etiam ubique receptum est. Bona nempe immobilia sive mobilia (dummodo neque ad personam eius pertineant, neque

¹⁾ De bonis legatorum neque arresto neque pignori obnoxii agit BYNK. op. l. c. IX.

²⁾ I. 27—29. Quam BYNKERSHOEKIUS adiicit HUBERUS, l. l. § 20 non concoxisse illum WICQUEFORTII perpetuam exemplorum texturam, in errore videtur versari: dixit tantum illa exempla non omnia aequabili esse fide. Quod ad ipsam rem attinet, HUBERUS idem scripsit et demonstravit ac BYNK.; rationes nempe ab utraque parte non deesse, tacitum vero inter gentes pactum exemptionem illam legati a iurisdictione loci quem habitat produxisse. HUBER, l. l. § 20—25 quod notavit etiam BYNK. C. XXIV. — Cf. NOEST, l. l. § 9, 10 et GRASWINCKEL, l. l. § 37 sqq.

³⁾ HUBER, l. l. § 26.

⁴⁾ WICQUEF., l. 28.

⁵⁾ Op. l. c. XVI.

tamquam legatus possideat, uno verbo, sine quibus legationem recte obire potest), eodem modo ac etiam Principis externi bona, in imperio nostro sita, recte subiiciuntur nostro foro." Quod de bonis immobilibus dicit BYNKERSHOEKIUS prorsus concedimus: in mobilibus magnas cautiones esse adhibendas, ipsa BYNKERSHOEKII docet argumentatio, difficillimum enim est definire, quid ex mobilibus necessarie requiratur ad legationem recte obeundam; aequius melius vero videtur quocumque casu hisce comprehendere pecunias numeratas ¹⁾.

Quid dicendum sit de legato qui in loco ubi degit mercaturam suo periculo agit, non constat inter iuris gentium interpretes: saeculo inprimis superiore tam copiose de hac quaestione actum est, ut haec ipsa fuerit causa cur BYNKERSHOEKIUS noster totum hoc *de foro legatorum* opusculum conscripserit. "Cum enim a^o 1720 (atque haec ipsius auctoris sunt verba) ²⁾ immodice ferveret studium aliquod mercaturae, quod ne hic vel alibi unquam ferbuisse ipsius mercaturae intererat, legatus Ducis Holsatiae Haga Amsterdamum se confert et strenue mercaturam agit: plurium debitor factus Hagam revertitur sed et plures curiam Hollandiae adeunt et impetrant mandatum arresti et in ius vocationis; quum hoc curia fuerat largita, legatus questus est de violato iure gentium ad Ordines Generales: curia autem Hollandiae, cuius sententiam rogaverunt Ordines, eam exposuit grandi epistola qua de foro legatorum copiosissime disputat. Ordines vero adhuc dubitant quid decreturi sint." BYNKERSHOEKIUS autem decidit eodem modo ac iam supra diximus, nempe defendit tenaciter curiae decretum, bona legati quae ad ipsam legationem non pertinent, creditorum arresto obnoxia esse ³⁾.

¹⁾ Vide cap. IX et not. 4 BARBEYRACI ad c. II. Cf. Decretum O. Holl. 21 Febr. 1721, quod affert BYNK. c. XVI.

²⁾ Cap. XIV. (*de legato mercatore.*)

³⁾ PHILLIMORE, II. p. 194, cui prorsus assentimur dicenti: »In truth, every state ought by expressly forbidding her ambassadors to combine engagements in private trade or commerce with the sacred duty of representation, to prevent any question of the kind from ever arising. — The Roman law on this point deserves to be imitated: Is qui legatione fungitur neque alienis neque propriis negotiis se interponere debeat." POMPONIUS in l. 8. ff. *de legationibus.* (L. 7.)

Ad hoc etiam pertinet „ubi conveniri debeat legatus, qui in loco, ubi legationem obit, habitabat antequam legatus esset,” quod magnis animis pertractatum est praesertim a WICQUEFORTIO, „qui ut Poëta ait *κακῆς μεμνημένος ἄτης* omni studio contendit subditum nostrum, dum apud nos legatione fungitur, nostra iurisdictione eximi et concedere in iurisdictionem Principis legantis ¹⁾.” BYNKERSHOEKIUS contendit eum prorsus nostrum subditum manere, nisi, metuens ne utriusque Principis rationes pugnent, consulto mutet civitatem: vulgo vero nihil impedire quominus quis pluribus Principibus sit in sacramento et officio. Qui enim subditum nostrum eligit legatum, non videtur hoc agere ut hominem sed ut officium eius eximat; praeterquam quod dubitare licet an extero Principi ius sit aliquem alterius subiectione eximendi ²⁾. Egregium est exemplum quod HUBERUS affert regem Galliae DESTADIUM in Belgis habuisse Tribunal stipendio Belgarum et simul legatum suum, relationibus ita, ut dictum, actu distinctis ³⁾. WICQUEFORTIUM igitur nullam iniuriam passum fuisse dicamus, quum etiam postquam Ducis Luneburgensis actor esse coeperat a Curia Hollandiae apprehensus et 20 Dec. 1675 damnatus est ad perpetuum carcerem publicatis bonis. Quodsi adhuc ex usugentium probatione indigeat, multus est BYNKERSHOEKIUS in illo indicando.

In iis autem causis in quibus legatus foro nostro subiicitur, domi citandus est, nam *domus* eius sanctitatem non tanti habendam esse, iam supra vidimus ⁴⁾.

Privilegiis iuribusque legatorum expositis, restat inquirere an legatus hisce renuntiare et iurisdictione prorogari possit. BYNKERSHOEKIUS respondet eum id facere non posse sine consensu Principis: in causa criminali autem numquam; quia in ea semper legatio impediretur: in causa civili non aliter quam ut adversus eum ius dicatur, non ut sententia executioni mandetur, quia et hoc modo legatio impediretur: attamen nulla adesse

¹⁾ BYNK., *de F. L.* c. XI et WICQUEF., I. 11.

²⁾ HUBER, l. 1. § 27, 28, 31.

³⁾ Ibid. § 29.

⁴⁾ BYNKERSH., *de F. L.* c. XVI in fine.

huius rei exempla ex quibus gentium ius constare possit. Eadem est etiam NOESTII sententia, qui hac in re GROTIUM supplet. ¹⁾

§ 3. *De legatorum comitibus.*

Iura ac privilegia legatorum quorum modo mentionem fecimus competere legatis cuiuscunque ordinis ac dignitatis non est quod iterum moneamus. Quid tamen iuris sit circa legatorum comites (quibus intelliguntur scribae, medici, cett.) separata adhuc eget indagatione. Bene hac in re egit HUBERUS in eodem capite *de legatis*, exponens ²⁾ quid ab utraque parte afferatur: comites propter delictum invito legato non abduci, sed si gravissimum sit crimen ad deditionem ab illo, illiusve Principe vel populo postulari posse, ac si id recusatur nihil superesse quam ultionem belli ³⁾. At sanctitatem legatorum si derives ex eo quod intersit generis humani ne illi violentur, hoc ad comites et res eorum non necessario pertinere videri, eique opponi posse quod neque aequum nec voluntati populorum conveniens sit, ut legati in maleficiis et contractibus impune grassari possint ⁴⁾. Quod ad repraesentationem attinet, si quis etiam contendere velit legatos habere iurisdictionem in suos et omnes domo sua comprehensos, repraesentantes ita habituros quod ipse repraesentatus si apud nos ageret non haberet, in alieno nempe territorio iurisdictionem. Si tamen verum est quod usu gentium praevaluisse constat in domos familiasque legatorum non esse iurisdictionem his ad quos sunt missi, parum abest quin iurisdictio legatis in comites suos tribui possit: nisi potius illa sit patrisfamilias potestas quam si

¹⁾ NOEST, l. l. § 8 (p. 429).

²⁾ § 22 sqq.

³⁾ § 18; VITRIARIUS, l. l. § 16; NOEST, l. l. § 8. Vehementer tamen dubitarem an sine expressa antea de hoc argumento inita conventiono, unquam iustam belli causam praebere possit recusatio illa: si enim constat non opus esse ut dedantur, nullam committit *laesionem iuris*, qui eos dedere non vult.

⁴⁾ § 22.

quid excedat mittendi sint ad legati dominum *τιμωρηθησόμενοι* pro imperio et iurisdictione tractandi 1).”

BYNKERSHOEKIUS ad illa HUBERI provocat 2): docet iure Romano servos in delictis sequi legatorum conditionem, curiae vero Hollandiae iurisprudentiam non convenire iurisprudentiae gentium. Iurisdictionem civilem inter comites totam concedit Principi qui legatum misit, quia huius et non potestatis ad quam mittuntur sunt subditi. Quid vero si legatus ex subditis nostris sibi comites et famulos sumserit? Eodem auctore illi transeunt in forum legati, quia familiae conditio exigit ut omnes qui ad eandem familiam pertineant etiam patrisfamilias foro subiiciantur. At quum antea dicit idem ille, legatos qui ante legationem subditi nostri fuissent forum non mutare, multo magis hoc etiam de comitibus videtur dicendum, ut et HUBERUS ait, legatos non posse subducere famulos illius iurisdictioni cui subiecti erant: potestas autem ea patrisfamilias in civilibus, de quibus hic tantum sermo est, non magni ponderis esse videtur.

In re criminali quoque comites ipsius legati forum sortiri non minus verum est: quare eos nec accusat nec punit magistratus loci ubi degunt 3): si vero comites gravius commiserint facinus postulare a legato poterunt ut dedantur (vi enim abstrahendi non sunt) aut puniantur: quodsi dedere non vult eadem facienda erunt, quae supra de supra de legato diximus 4). — Alia tamen nascitur quaestio an et quatenus legatus ipse de familia sua ius dicere possit. Id autem iisdem distinctionibus transigendum videtur ac supra indicavimus in civilibus: ratione autem ac usu gentium id facile vincit quod legatis coercitio modica tribuatur in suos: ceterum ablegandi sunt ut puniantur ad forum quod legatus ipse ante susceptam legationem habuerit 5). — Haec autem licet recte sese habeant, dicendum tamen videtur cum GROTIUS legatum renunciare posse hisce

1) § 30, 31. VITRIARIUS, § 17.

2) *de F. L. C. XV.* (De comitibus Legatorum).

3) BYNKERSH., *de F. L. c. XX.*

4) VITRIARIUS, l. l. § 16; NOEST, l. l.

5) BYNK., l. l.; VITRIARIUS, l. l. § 17; HUBER, l. l. § 30; WICQUEF., l. 28.

circa eius comites privilegiis sine laesione ipsius maiestatis: quod legatos saepissime etiam fecisse compluribus exemplis probat NOESTIUS.

Permulta adhuc addi possent de legatorum iuribus ac privilegiis, nam campus hicce late patet, at aliquando certe finis est imponendus huius argumenti expositioni. Neque opus erit nunc insuper multis verbis indicare quid singuli nostratum hac in re praestiterint; nonnulla tamen hisce adiungere non plane inutile erit. De BYNKERSHOEKIO quid attinet addere postquam eius opera quae huc spectant quam accuratissime potuimus pertractavimus? Iam monuimus quanti exteri iuris gentium auctores eius scripta faciant — nec multum curamus unum fortasse alterumque inter eos esse qui quolibet modo conatus sit auctoris nostri auctoritatem imminuere ¹⁾ — neque igitur hic amplius de his agamus: sufficiat provocare ad WHEATON qui in elegantissimo opere *«Histoire des progrès du Droit des Gens»* ²⁾ totum de legatorum iuribus argumentum exposuit, idque multo latius quam nobis id facere licuit, nonnullas BYNKERSHOEKII operis partes ad verbum vertens.

De WICQUEFORTIO accuratius etiam nunc nobis est videndum. Si omnium quae de eius opere collegimus iudicia hic adscri-

¹⁾ G. H. VON RÖMER, *Handbuch für Gesandte*, (Leipzig 1791.) Tom. I. p. 18. » C. VAN BYNKERSHOEK — der berühmter Verfasser eines Werks über den Gerichtsstand der Gesandten, eines Werks welches gewiss in unsern Zeiten keine so grosse Autorität erlangen würde, als es sich damals erworben hat, wo man in den Natürlichen Rechte noch immer sehr zurücke war(!) Seine Entscheidungen sind nicht selten falsch, unterweilen sogar aus dem römischen Rechte entlehnt, und doch betrachtete sie die grösste Haufe von Gelehrten als Göttersprüche." — et p. 112: » Dieses bekannte Werk hat wirklich eine grosse Menge unrichtiger Lehrsätze welche BYNKERSHOEK so gar zum Theil aus Römischen Gesetzstellen erhärten will. Ueber diess ist es flüchtig und in einer sehr schlechten Ordnung geschrieben. . . . Es ist auch gar nicht zu läugnen dass seines Verfassers Scharfsinn sehr durchblickt."

²⁾ Tom I. p. 290—316. cf. eiusdem *Elements of Intern. Law*. I. p. 257 et HEFFTER op. l. p. 345 sqq.

beremus non unius hoc esset horae opus ¹⁾). Omnes autem in hoc conveniunt auctorem qui tantum scripsisse videtur pro aris et focis, ut supra iam ex BYNKERSHOEKIO demonstravimus, nihil fere aliud ad legatorum officia iuraque cognoscenda profecisse quam quod omnia aliquo modo memorabilia exempla quae circa eos occurrunt collegerit, qua in re non male versatus esse videtur ²⁾). Quod autem ei obiicitur nullos eum laudasse auctores quorum fide narrat ³⁾), inde explicari posse videtur quod opus suum conscripserit in carcere ubi paucissimos tantum libros ad manum habuit ⁴⁾). Si doctrinam atque veram eruditionem spectes, harum non multum apud eum reperiri, ipsi potius exemplo demonstrabimus quam WHEATONIS auctoritate ⁵⁾ tantum pro vero habere. In primo capite haec conscripsit WICQUEFORTIUS: „les ambassades ordinaires ne sont point du droit des gens étant certain qu'elles n'étaient connues il n'y a pas encore deux cents ans: les princes qui ne les recevraient pas feraient bien contre la *coutume* mais non pas contre le *droit des gens*." Capite vero XI haec leguntur: „à l'égard du *droit des gens* ils suffit de savoir *ce qu'il se fait partout* sans qu'il soit nécessaire d'en rechercher scrupuleusement la raison." Difficile certe foret in uno eodemque libro duo invenire effata quae inter se invicem magis pugnent. — De ceteris nostratibus auctoribus quos in hoc capite laudavi, nihil hic addam: ex eorum locis quos ubique attuli satis iam apparere potuit quid in hoc argumento exponendo praestiterint. — Consulto tamen aliquid in superioribus praeterii ut hic separatim eius rei mentionem facere possem. Si quis brevissimam et perspicuam expositionem requirit eorum graviorum quaestionum quae in legatorum munere et iuribus investigandis utramque faciunt paginam, is quaeso inspicat BARBEYRACI

¹⁾ PAQUOT, *Mémoires* cet. (op. l.) Louvain 1763—70. (18 vol. 8°), I. p. 189 et 360. Cf. VON KAMPFZ (op. l.) p. 235 § 200 et auctores ibi laudati.

²⁾ HEFFTER, op. l. p. 345. » Ein Buch von sehr geringen Werth abstrahirt von seinem *compilatorischen* Inhalt."

³⁾ BYNK., de F. L. c. XVIII. in fine. BARBEYRAC., *Préface au traité de Bynk.* p. XXIX.

⁴⁾ Quod ipse dicit in ipso operis initio.

⁵⁾ *Hist. des Pr. du Dr. des Gens* I. p. 290.

adnotationem ad PUFENDORFII *Instit.* VIII: 9 § 12; verum et hunc locum inspicienti apparebit auctorem nullo modo ad finem usque urgere posse quod etiam in huius loci initio posuit se tantum agere de iure naturae, non de iure gentium ad quod GROTIUS saepius in hac materia provocaverat.

CAPUT III.

DE IURE BELLI.

In hoc capite tractanda nobis sunt iura quae inter gentes obtinent in bello gerendo, sive quaenam iure gentium in bello licita illicitave sint tum inter belligerantes invicem tum erga non hostes. Gentium autem usus ac consuetudines recentiore tempore multum differunt a barbaris illis temporibus quibus iustum habebatur quodcumque in hostes fiebat. Nec tamen nimis nobis hac de re gloriari licet; saepissime et nunc quoque audiuntur impia crimina quae in bello impune perpetrantur et de ipso gentium iure hac in re fere actum esse arbitraremur nisi adagium etiam hic nobis praesto esset: *«summa iniuria non tollit ius.»* Quod vero argumentum difficillimum est tractatu: inprimis quum de multis rebus adhuc dubitari licet an certi quid de iis statuendum sit. Hic inprimis oportet in auctorum mentem et argumentationes diligenter inquirere et exempla quae in hanc illamve partem afferuntur caute ponderare.

Qui in patria nostra de bello eiusque iuribus egere iuris gentium scriptores omnes iam nominavimus, — si excipias nonnullos qui dissertationes Academicas inaugurales de aliqua huius bellici argumenti parte edidere ¹⁾. Post GROTIUM cuius

¹⁾ Praeter dissertationes quas infra separatim laudabimus praecipuae hae sunt: I. PAULSEN, *de bellis eorumque iuribus*. Gron. 1639; A. PAREL, *de praedu bellica*. Trai. 1670; I. I. RANGO, *de fide bellica*. L. B. 1694; A. MOUCHON, *de iure postliminii*. Trai. 1724; G. FENNER, *de acquisitione bellica*. L. B. 1725; W. A. VAN LITH DE JEUDE, *de occupatione rerum*

opus inprimis in hac materia fundamentum est quo omnes superiores disputationes nituntur, praesertim accuratissime de belli iuribus egit BYNKERSHOEKIUS in primo libro *Quaestionum Iuris Publici*. Hunc igitur etiam in hoc capite sequemur et cum illis quae ab eo exponuntur aliorum sententias conferemus. Ne tamen nobis certus desit ordo in hacce expositione, primum videbimus quid egerint nostrates de bello universe, tum dispicemus de iure repressaliarum quod arcte cum iure belli cohaeret, deinde separatim attingemus statum belli inter hostes et inter non hostes.

§ 1. De bello universe.

Bellum vocant „statum per vim certantium, qua tales sunt”¹⁾, sive ut BYNKERSHOEKIUS ait²⁾: „Bellum est eorum qui suae potestatis sunt, iuris sui persequendi ergo concertatio per vim vel dolum,” — quam definitionem HEINECCIUS omnium optimam esse dicit³⁾ cum hoc modo a belli appellatione excluditur tumultus aequae ac vis publica privataque. Contra vero LUZAC⁴⁾, qui eam vehementer improbat contendens bellum

hostilium. Trai. 1739; ALEX. H. VAN DE CAPELLEN, *de iure transeundi et transvehendi res per territoria, flumina et maria aliena*. L. B. 1753, I. I. BOSE, *de iure hostium res in bello capiendi*. L. B. 1766; I. H. DE BRUYN, *de iure in captivos*. L. B. 1768; D. G. VAN DE KEESSEL, *spec. politico-iuridicum iura sistens, quae pendente bello hosti in hostem competunt*. L. B. 1773; M. SALVERDA, *de iure postliminii antiquo et hodierno*. Gron. 1790.

¹⁾ VITRIARIUS, I. 1. § 1; GROTIUS, I. § 2; HUBER, L. III. S. IV. C. IV. § 2, qui docet hanc GROTII definitionem non discrepare, ut contendunt multi, ab ea quam dedit CICERO *de Off.* I. 16. »Bellum est certatio per vim;» actum enim saepissime poni pro statu in quo agentes versantur: sic v. c. *observatio* usurpatur pro longo observandi instituto; sic *matrimonium* Icti vocant *coniunctionem*, non pro actu transitorio coniungendi sed pro statu coniunctionis perpetuo. Non igitur esse causam cur multi (v. c. HEINECC. in loco infra laudato) tam acriter in hanc CICERONIS definitionem invehant. Cf. NOEST, I. 1 § 2.

²⁾ *Q. I. P.* I. 1.

³⁾ HEINECC. *Elem.* II. § 191 et *Praelect.* I. 1 § 2.

⁴⁾ Ad § 1169 WOLFF., *Inst.*

aeque recte geri posse inter privatos, atque accerrime vituperat BYNKERSHOEKIUM quod hic provocet ad legem Iuliam de vi privata, quasi ipsa illa lex non orta esset ex eo quod privati saepissime inter se vi utuntur. Quod certe nemo negabit: sed si privati vi utuntur (praeterquam quod hoc vulgo fit non iure sed summa iniuria) hoc tamen belli nomine dici nequit. — Belli iuris autem HEINECCIUS fundamentum esse docet „ut alteri, qui hostilem animum adversus nos manifesto prodit omnesque aequas condiciones pertinaciter respuit, male intentare tam diu possimus, donec deposito hostili animo nobiscum redierit in gratiam” ¹⁾. Verum quum hoc magis pertinet ad ius naturae non opus est ut plura de eo afferamus ²⁾: inter gentes autem quaestio an bellare unquam iustum sit nullam recipit dubitationem, quum de belli usu et effectu quem populi bello tribuunt plenae sunt omnes historiae, inprimis vero quum apparet inter diversas civitates nullam existere rationem qua iuris laesionem ulcisci possent nisi vi illata ³⁾. — Quum igitur constat gentes *liberas* tantum bella gerere posse, iam patet ius belli nontribuendum nisi summis imperantibus; horum tantum esse milites conscribere vel conducere, urbes et castra munire, bellum decernere, milites hosti etiam cum summo periculo opponere, leges ferre de disciplina militari, similia ⁴⁾. Atque hic iterum LUZACIUM adversarium habemus, docentem singulis civitatis membris competere ius contra peregrinos bellum gerendi. Quod ut probet provocat ad BYNKERSHOEKIUM narrantem ⁵⁾ singulas Provincias Belgii Foederati saepe bella gessisse contra urbes Hanseaticas aliasque gentes peregrinas: sed non animadvertisse videtur (ne dicamus Belgium Foederatum rempublicam liberam

¹⁾ *Elem.* I. § 183.

²⁾ Vide HUBER, I. l. § 4–11.

³⁾ *Ibid.* I. l. § 3 et 6; NOEST, I. 2. Egregie WHEATON, *Elements* cet. II. p. 3. „Every state has a right to resort to force as the only means of redress for injuries inflicted upon it by others, in the same manner, as individuals would be entitled to that remedy, were they not subject to the law of civil society.”

⁴⁾ HEINECC., *Elem.* II. § 192; NOEST, I. 5; GRASWINCKEL, II. 15a § 1 sqq. HUBER, I. l. § 13 sqq.; WHEATON, I. l. p. 9.

⁵⁾ *Q. I. P. I.* 23. IV. 13.

fuisse in qua nemo ius summae potestatis habebat) eodem loco narrari ex foedere „Utrechtano” (23 Jan. 1579) singulis provinciis bellandi ius non fuisse ad sua ipsarum commoda promovenda nisi nactae essent communem ceterarum gentium consensum: atque si exempla exstant quae probent id nonnunquam fuisse neglectum hoc tantum demonstrare foederatos non semper aequae recte foederis habuisse rationem. — Non opus tamen est simulac ius alicuius civitatis laesum est statim recurrere ad omnium laesionem ulciscendi violentissimum remedium, bellum publicum. Alia primum applicari possunt; tentari potest res amice componere negotiationibus aliisque pacificis modis, quae tamen si non sufficiunt, antequam ad bellum recurratur etiam superest *ius repressaliarum* ¹⁾.

§ 2. *De iure repressaliarum* ²⁾.

„Repressalias accipimus pro licentia a Principe concessa occupandi aliorum personas bonaque ob vim et iniuriam antea suis subditis illatam ac negatam de eo facinore iustitiam, quo sic reparatur damnum quod manu datum nec a Principe coercitum est.” Paucis hisce BYNKERSHOEKII verbis, quibus vix opus erit addere „hoc non ulterius extendendum esse quam ut civi

¹⁾ GRASWINCKEL, l. l. § 22 sqq.

²⁾ BYNK., *Q. I. P.* I. 24; VITRIARIUS, III. 2. § 5—16; NOEST, III. 2; HUBER, op. l. L. III. S. IV. c. IV. § 24—26; GRASWINCKEL, II. 15b § 15 sqq.; HEINECC., *Elem.* II. § 205. *Praelect.* III. 2.; ENTREP., diss. laud. § 31. Nec minus accurate totum hoc argumentum attingit BARBEYRAC in nota quadam ad PUFEND. VIII. 6. 13. — De huius iuris historia dignus est qui conferatur WHEATON, *Hist. du D. d. G. I.* p. 80—83. In patria nostra de hoc argumento prodire dissertationes inaugurales: I. VOGELBUSCH, *de iure repressaliarum.* L. B. 1690; I. VAN BREUGEL, *de repressaliis.* L. B. 1728; I. VAN RANDWYCK, *de iure repressaliarum.* L. B. 1747; I. VAN HEEL, *de repressaliis.* L. B. 1764; I. A. MOENS, *de repressaliis in bello illicitis.* L. B. 1788. Ultimum hocce specimen editum est auspiciis F. W. PESTELII. Insuper ius repressaliarum egregie et concinne expositum invenies in epistola quadam consilarii IANI DE WITT. Vid. huius *Brieven*, IV. p. 257. (16 Junij 1662).

nostro cui ius non dictum est, satisfiat" ¹⁾), totam fere rem expositam habemus quam omnes attingere, qui de iure belli scripserunt.

Repressaliae autem quamvis iis locus non sit nisi in pace ²⁾), species tamen sunt belli et licet recte conamen dicantur bellum antevertendi ³⁾), saepissime tamen in verum bellum transiere. Cautissime igitur in iis concedendis agendum est. BYNKERSHOEKIUS docet morem esse, antequam repressaliae concedantur, ut Princeps, cuius subditus se laesum putat, prius audiat Principem cuius subditus laesisse existimatur, ac si is intra tres menses non curet, laeso ius dici ⁴⁾). Deinde cum pacta gentium aiunt eas non esse dandas nisi ob denegatam iustitiam, facile inde sequitur iustitiam denegatam etiam censendam esse quum sit male iudicatum, aut quum iudicium malitiose sit protactum ⁵⁾). — Ius repressalium concedendi est penes eosdem qui habent ius belli, igitur recte BYNKERSHOEKIUS Provinciis Belgii Foederati ius repressalium tribuit eo casu quo singulae recte bellum gerant, aut foedera ineant ⁶⁾). Si effectum repressalium quaeras, personae captae non perinde habendae sunt ac si in bello captae, nec etiam per talem apprehensionem servi nostri fiunt: sunt quasi obsides in iure civili. Bona capta diligenter sunt retinenda et si post aliquod temporis spatium nulla adhuc data est iustitia, cedunt in dominium capientium ⁷⁾). Denique animadvertendum est legatos ob sanctitatem qua gaudent eximi ex numero eorum qui ipsi aut quorum bona capi possunt ⁸⁾). Ceteroquin omnes recte capiuntur in alterius territorio etiam peregrini: modo hi non sint transeundi sed advenae qui ibi domicilium nacti sunt ⁹⁾).

¹⁾ HEINECC. *Elem.* l. l.

²⁾ Cf. § 31 Induc. 9 Apr. 1609, et § 60 Pacis Monasteriensis 30 Ian. 1648, apud BYNK. l. l.

³⁾ « Les représailles sont une espèce d'acte d'hostilité ou du moins le prélude de la guerre. » BARBEYRAC, l. l.

⁴⁾ Cf. VITRIAR. l. l. § 8.

⁵⁾ BYNK., l. l.; VITRIAR. § 7.

⁶⁾ BYNK., l. l.; VITRIAR., § 14.

⁷⁾ VITRIAR. l. l. § 15.

⁸⁾ BYNK., l. l. et *de F. Leg.* c. XXII; VITRIAR., l. l. § 13; BARBEYRAC. l. l.

⁹⁾ VITRIAR., l. l. § 13; BARBEYRAC ad GROT. III. 2 § 7. De iure repressalium nostro tempore, cf. WHEATON, *Elem.* II. p. 5 sqq.; HEFFTER,

§ 3. *De statu Belli inter Hostes.*

Sicuti praestat ubique a primordiis rerum narrationem incipere, sic et nos in hac § una cum BYNKERSHOEKIO primum dispiciemus de indictione belli. Ille contendit indictionem recte praestari, nullo iure tamen peti posse ¹⁾; contra HUBERUS quique hac in re GROTIUM sequuntur ²⁾ docent „denuntiacionem propterea placuisse recipi (praeterquam in bello defensivo) ut constaret non privato ausu sed voluntate utriusque populi aut imperantium ³⁾ geri bellum, denique ut si populus eius vel imperantes non sint immediate in culpa, deliberent utrum velint suam facere litem an satisfacere laesis. Indictionem autem iidem auctores *puram* vocant aut *conditionalem*; *puram* cum vel alter iam intulit bellum aut ea deliquit ipse quae poenam iure gentium non indubie merentur: *conditionalem* cum subditi alterius deliquerunt et postulatur satisfactio ab imperantibus. Illa fieri potest cum ipsa vi parata, haec tempus deliberandi requirit.” Omnes igitur in hoc consentiunt indictionem non necessariam esse ex iure naturae. Deinde discrimen inter varios auctores magis est verbis quam re ipsa. Bellum enim legitimum esse posse sine indictione BYNKERSHOEKIO con-

(op. l.) p. 197 sqq. et MARTENS, *Précis* § 255 sqq. Cavendum ne cum repressaliis confundatur *retorsio*: illae scilicet, ut iam vidimus, conceduntur ob denegatam iustitiam, haec spectat ius iniquum: illae exercentur a singulis ex auctoritate Principis, hac utuntur totae gentes ex lege quadam a summa potestate lata. Egregium retorsionis exemplum invenies apud G. C. VAN HOGENDORP, *Bijdragen* (op. l.) IV. p. 30 sqq., qui laudat legem retorsionis contra Sueciam latam; licet dicendum videatur, auctorem in oratione quam ad ornandam legem habuit perperam vocasse *repressalias* quod ceteroquin recte vocat *retorsionem*. Cf. HEFFTER, (op. l.) p. 199, et GRASWINCKEL, II. 15c § 47 et 48.

1) BYNK., *Q. I. P.* I. 2; GRASWINCKEL, II. 15. § 34 sq.; ENTRUP, diss. I. § 33.

2) HUBER, I. I. § 27 sqq.; VITRIAR., III. 3. § 6 sqq.; NOEST, III. 3. § 5 sqq., GROTII sententiam expositam refutat argumentis BYNKERSHOEKII.

3) Quae dicit „voluntate utriusque” miror. Non enim intelligo quomodo, si ego tibi bellum indico, inde pateat tua voluntas bellandi. Quid si recusas et ego tamen te cogo?

cedendum est, nam iustitia belli pendet tantum a ratione ob quam suscipitur quod neque ab HUBERO negatur, nam dicit: „indictio fieri potest cum vi parata.” BYNKERSHOEKIUS autem pronuntiare dubitat quid usus gentium hac de re constituerit, quum ab omni inde tempore etiam in Belgio Foederato tot bella gesta sint indictione omissa ¹⁾. „Attamen, inquit, maioris animi principes populique ut vi manifesta honestius et gloriosius vincant bella, nisi indicta, non facile gerunt.” Hoc autem recentiore tempore in iure gentium prorsus praevaluisse ut doceamur, non opus est recurrere ad auctores, qui nostro saeculo hoc argumentum attigere ²⁾, nuperrime enim ex ipsis factis discere potuimus ³⁾.

Bello indicto quid contra hostes facere licet? „Omnis vis in bello iusta est,” ait BYNKERSHOEKIUS ⁴⁾, „et ideo iusta cum

¹⁾ In contrariam partem tamen affert edictum Ordinum Generalium (17 Ian. 1665) *Groot Placcaetboek* III. 1. 7. 1. quo decretum est naves nostras ab Anglis captas vindicari posse quia captae erant ante belli indictionem. Cf. GRASWINCKEL, l. l. qui contendit indictionem belli apud nostrates semper in usu fuisse.

²⁾ Vide tamen WHEATON, *Elem.* II. p. 11; HEFFTER, op. l. p. 211, 212.

³⁾ Nempè quum Sardi se anno superiore (1854) Gallis Anglisque vendidissent ob certum pecuniarum subsidium ab Anglis praestandum et foedus bellicum cum illis ictum subiecissent senatus populique probationi, *manifestum* prodiit nomine Imperatoris Russiae contra Sardiniam quae foedus inierat unde bellum sequeretur contra gentem cui id non indixerat. Mox editum est ab ipsa Sardinia contra-manifestum, quo se et non sine iure ut videtur contra hanc criminationem defendit quod foedus illud nullum vigorem habere posset antequam a Senatu populoque esset sancitum, seque igitur ante hanc sanctionem datam bellum indicere non potuisse. Ipsis autem his *manifestis* ab utraque parte bellum denuntiatio est, sicuti et vulgo hoc manifesto quodam fieri solet. Vid. *Annuaire des deux Mondes*, 1854—55. p. 188.

⁴⁾ *Q. I. P.* I. 1. Cf. WHEATON, *Elem.* II. p. 75. » Even such institutional writers as BYNKERSHOEK and WOLFF who lived in the most learned and not least civilised countries of Europe at the commencement of the 18th Century, assert the broad principle that every thing done against an enemy is lawful: such however was not the sentiment and practice of enlightened Europe at the period when they wrote, since GAOTIUS had long before inculcated milder and more humane principles, which VATEL

liceat hostem opprimere etiam inermem, cum liceat veneno, cum liceat percussore immisso et igne factitio quem tu habes et ille forte non habet, denique cum liceat ut uno verbo dicam quomocunque libuerit." Hoc autem probat "ex ratione iuris gentium magistra." "Bellum enim, inquit, alicui facimus quia putamus eum per iniuriam nobis illatam sui suorumque perniciem meruisse." Eandem ob causam dolum in bello permittit sola excepta perfidia ¹⁾). Attamen docet ²⁾ gentes belligerantes saepissime officia amicitiae et humanitatis observasse, ius vitae ac necis quod est apud victorem non esse in usu, sicuti et (quod ei paullatim successit) ius captivos in servitatem redigendi: nunc enim huic mori successisse captivorum permutationem, vel donec redimantur, detentionem.

De hisce multa viri docti disputavere: GROTIUS nempe in hoc argumento satis diffusus est, verum videtur (et ita eum etiam intellexerunt VITRIARIUS et NOEST ³⁾) statuisse ⁴⁾ ex iure naturae omnia esse permessa in victos, verum iure gentium immanitates et barbariem quae olim valebant ⁵⁾ non amplius licitas esse, atque sic recte iuri naturae esse derogatum. Hoc universe ita sese habere prorsus concedimus, dissentientes a GRASWINCKELIO ⁶⁾ aliisque qui arbitrantur ab ipsa natura vetari quominus veneno similibusque in hostem utamur: de iure circa captivos vero egregia videntur quae scripsit LUZAC ⁷⁾: ex iure naturae certe ius nobis dari hostes occidendi ut sic nosmet ipsos defendamus, at captivos vix amplius dici posse *hostes*: certe quum plane in nostra sint potestate et nisi eos liberemus nihil contra nos facere possint, non omnimodo hos-

subsequently enforced and illustrated and which are adopted by the unanimous concurrence of all the publicists of the present age." Cf. et HEFFTER, (op. l.) p. 211 sqq.

1) Idem fere HEINECC. *Elem.* II. § 201 sqq.

2) C. 3.

3) VITRIAR. III. 4; NOEST, III. 4.

4) GROTIUS, III. 10 sqq.

5) Cf. BERG VAN MIDDELBURG, *Verhand. over de afsch. der Kaapvaart.* p. 3.

6) GRASWINCKEL, II. 15 § 39.

7) Ad § 1192 et 1194 WOLFFII *Inst.*

tibus esse equiparandos. — Ceterum quum de his iam supra 1) quaedam monuimus non opus erit hic plura addere.

„Ex natura belli commercia inter hostes cessare non est dubitandum 2): quisque enim subditus iubetur alterius Principis subditos eorumque bona aggredi, occupare et quomodocunque iis nocere. Quod tamen non impedit quominus commercia pro parte possint permitti; sic v. c. licita utrumque halecaria piscatio ex Edictis Francorum et Belgarum a° 1536 3). Si vero commercia cum hoste sint vetita iam patet non licere commercia eius promovere assecuratione aut alio quodam contractu ineundo” 4). — Gravissima semper fuit (eamque adhuc gravissimam esse his annis saepe apparuit) quaestio de occupatione bellica, inprimis quando res mobilis aut immobilis censenda sit in hostium potestatem transiisse. Verum pulcherrime docuit BYNKERSHOEKIUS regulam generalem ea de re vix constitui posse, sed singula facta esse considerata, et tum hoc esse statuendum, aliter rem in hostis potestatem non transiisse nisi ita eius adeptus sit possessionem ut rem captam tuto retinere ac defendere possit, quod et iure Romano ita sancitum est 5). Quum igitur GROTIUS 6) scribit, naves tum demum captas esse videri cum in navalia aut portus aut ad eum locum ubi tota classis se tenet productae sint, non sunt haec urgenda: navis enim hostis est simulatque ille eam tute possedit etiamsi in pleno mari occupatam teneat: ac hostium manet donec aliquo modo liberetur 7). Qua cum sententia satis congrua sunt quae ad eandem materiem docte conscripsit LUZAC 8), qui egregie BYNKERSHOEKII vacillationes in hoc ipso capite indicat, et licet in nonnullis ab eo differat ad idem fere per-

1) Vid. p. 58 et 59.

2) Veterem hanc opinionem oppugnavit cons. BERG in commentat. modo laudata, p. 24.

3) BYNK. I. 21; WHEATON, *Elem.* II. p. 39.

4) BYNK. I. l. I. 3; WHEATON, *Elem.* II p. 25 sqq. et 123 sqq.

5) BYNK. I 4. Cf. l. 1. § 1, et l. 22. ff. *de acquir. vel omitt. possessione.*

6) GROT. III. 6. § 3; VITRIAR, III. 6. § 2.

7) BYNKERSH. l. 1. et C. 5.

8) Ad § 1204 WOLFFII *Inst.*

venit: nempe diligenter in singulis casibus esse considerandum an navis re vera fuerit in hostium possessione. BYNKERSHOEKIUS autem vehementius vituperat quod GROTIUS illis addiderat, iure gentium scilicet Europaeo requiri ut talia capta, antequam in dominium capientium transirent, per XXIV horas in potestate hostium fuissent, cum hoc neque gentium usu probetur neque ulla sana ratione nitatur: VITRIARIUS autem hoc omisit et prudenter tantum adscripsit priora GROTII verba: „Haec tamen apud quasdam gentes aliter determinari possunt.”

„Immobiles res captae intelliguntur quae mansuris munitio- nibus ita includuntur ut non nisi iis expugnatis parti alteri palam aditus sit: seu in quibus non est momentanea sed firma possessio ¹⁾.” Copiosius de hoc argumento, ut nobis videtur, disputat BYNKERSHOEKIUS ²⁾; eadem enim ratione hoc nititur ac quae de rebus mobilibus dixit, et nemo sana mente contendet quia pars alicuius regionis occupata est totam regio- nem occupatam esse censendam. Maioris momenti sunt quae scribit de modo quo res captae cedant recuperatori ³⁾. Immo- bilia recuperata postliminio redeunt ad priores dominos, mobilia non item. Regula iuris Romani etiam nunc de his valet „si quid in bello captum est, in praeda est, non postliminio redit ⁴⁾,” et ita quidem mobilium nomine audiuntur etiam naves, quod iure Romano secus erat. Sicuti vero occupatio in bello dominium transfert ita et recuperatio; naves igitur, ut idem exemplum teneamus, plane hostium factae, v. c. in por- tum hostilem deductae et deinde recuperatae, pleno iure cedunt recuperatori.

Quid iure belli sancitum est de hostium bonis quae bello exorto apud nos inveniuntur ⁵⁾? Cum autem ea sit belli con- ditio ut hostes sint omni iure spoliati proscriptique, rationis est quasunque res hostium apud hostes inventas dominium mutare, publicari et fisco cedere, quod praeterea ab utraque

¹⁾ VITRIAR. l. 1.; GROTIUS, *de I. B. et P.* III. 6. § 4.

²⁾ *Q. I. P.* I. 6.

³⁾ *Ibid.* I. 5.

⁴⁾ l. 28. ff. *de capt. et postlim. reversis.*

⁵⁾ BYNKERSH., *Q. I. P.* I. 7.

parte in singulis fere indictionibus belli sic constitui solet. In immobilibus in omni fere Europa sola fit *annotatio* ¹⁾ ita ut eorum fructus durante bello percipiat hostis, finito autem bello ipsa immobilia restituantur pristinis dominis. Controversiam magnam esse docet BYNKERSHOEKIUS num et hostium actiones et credita publicanda sint, licet ex ipsa rei ratione arbitretur hac in re ea prorsus esse equiparanda corporalibus rebus; iure gentium corporalia et incorporalia hostium veniunt in dominium nostrum, occur igitur in illis ius belli sequamur in his non item? Atque hoc inter gentes satis constanter observatum esse contendit, multis exemplis ex historia saeculi decimi sexti et septimi allatis. Hac in re autem plane convenit cum GRO-TIO ²⁾. Verum si credere licet recentioribus scriptoribus (et inter hos LUZACIUS noster ³⁾ nominandus est) nostro aevo aliter res sese habet: durae enim illae rationes nunc ita mutatae sunt ut bona, quae cum bellum exoriatur apud hostes reperiuntur, non videantur dominium mutare licet dum bellum duret *in possessione* hostium sint; utque actiones et credita quae hostes inter et privatos nostros subditos versantur belli tempore publicari non possint. Quod ad actiones et credita publica inter duas civitates belligerantes pertinet, ea utrimque etiam bello exorto solvuntur, ut recte docuit LUZAC atque egregio exemplo ex bello quod hisce annis gerebatur illustravit PHILLIMORE ⁴⁾.

¹⁾ Vide quod avert BYNK. ex forma quam Orangius Dynasta de regimine Hollandiae edidit 25 Aug. 1572.

²⁾ *De I. B. et P.* III. 20. § 16; VI. III. § 13 17.

³⁾ Ad § 1184 et 1204 WOLFFII, *Inst.* Cf. WHEATON, *Elem. of international law.* II. p. 12 sqq. qui accuratissimus est in GROTHII, BYNK. et VATTRELLII hac de re sententiis exponendis. HEFFTER, *op. l.* p. 234, nullam adhuc *firmam* regulam ex diversis exemplis confici posse contendit.

⁴⁾ II. p. 107: » In August 1854 the motion of Lord Dudley Stuart for repudiating the Russian Dutch loan was rejected for the same reasons as the motion of Mr. Hume in 1847, and for the additional reason that Great Britain was on account of being at war with Russia bound by a regard to national honour to be more than ever jealous of affording the slightest ground for the accusation that she wished to repudiate the debts justly contracted with the power which was now her enemy."

§ 4. *De statu belli inter non hostes.*

Qui ius neutralitatis tempore belli tum propter materiae amplitudinem tum propter magnum momentum quod omnibus gentibus habet, gravissimam iuris gentium partem vocat, me iudice, non errabit. Si usquam, hic latus nobis campus patet, inprimis quum iura eorum qui in bello medii manent in patria nostra primum in systema quoddam redacta sunt. Nec quis hoc miretur semper enim magni patriae nostrae intererat atque adhuc multum eius interest ut libere agere possit mercaturam: „Hac stante mercatura stabit Respublica, hac prolabente, ruet” 1). — Non solum igitur nostratibus profuit quantum fieri posset a bello abstinere ne naves fierent hostium praeda, sed saepissime etiam lucrum ceperunt ex neutralitate quam durante bello inter alias Europae potestates caute observabant, quum sic libere agere possent mercaturam, quod ipsi bellantibus fuit interdictum. GROTIUS in hoc argumento exponendo brevissimus est, nec mirum quum eius tempore commercia inter gentes non magna erant; verum accuratissime de statu belli inter non hostes egit BYNKERSHOEKIUS in eodem quem in superioribus creberrime attulimus libro primo *Quaestionum Iuris Publici*; etiam in hac materia semper mansit et adhuc manet fundamentum quo omnes seriorum de eodem argumento nituntur disputationes. Nec multo minorem famam nacta est — licet in contrariam abierit partem — quae paullo ante prodiit HEINECCIi exercitatio 2). Saniora tamen praecepta continent insignes dissertationes virorum consultissimorum PLOOS VAN AMSTEL 3), PESTELII Iunioris 4) et CORNELII VOLLENHOVEN 5) nec minus quae cum hisce pro

1) KLUIT, *Hist. foed.* § 228.

2) *De navibus ob vecturam mercium illicitarum commissis* (Halaë 1721).

3) *De iure commercii quod gentibus in bello mediis competit.* L. B. 1759. Usus sum in sequentibus hac Latina editione, cuius capita et paragraphi cum versione Belgica conspirant.

4) *Selecta capita iuris gentium maritimi*, L. B. 1786.

5) *De iuribus atque officiis gentium in bello mediarum circa navigationem et mercaturam ex iure gentium universali et Belgarum ex iure pactitio.* L. B. 1799.

magna parte congruae sunt, duae commentationes consultitissimi BERG VAN MIDDELBURG ¹⁾). Deinde multa egregie de gentium in bello mediarum iuribus et officiis conscripta invenies in opusculo minus noto, ut videtur, sed hac in re ut mox patebit permagni faciendo, cuius auctor est insignis Ictus L. I. VITRINGA ²⁾): nonnulla etiam in opere Ampl. N. OLIVIER de iure maritimo inprimis Belgico ³⁾), Ultimo sed omnino non infimo loco separatam mentionem hic facimus octavi capituli KLUITII *Historiae Foederum*, ubi omnia fere quae et ex iure gentium universo et ex Belgarum cum exteris pactis ad iura gentium in bello mediarum pertinent, concinne et accurate ipsa historia duce exposita sunt.

Attamen ne commisceamus, quae, ut in totum hocce de neutralitate argumentum ordine inquiramus, melius seiunguntur, primum videamus de ipso iure bello abstinendi et quae ad hoc

¹⁾ *In hoeverre volgens de jongste verdragen de onzijdige vlag de waar dekt*, in *Bijdragen voor R. en W.* door Mrs. DEN TEX & V. HALL, II. 247 seqq. *Over de afschaffing der Kaupvaart.* Trai. ad Rhen. 1833. Praeterea ad hoc nostrum argumentum pertinent: I. BARTOLDI, *diss. de iure et officiis eorum qui neutras partes in bello tenent.* Trai. 1674. FR. BENI. VAN DER CAPELLEN, *diss. de iure belligerantium in pacatos et pacatorum in belligerantes.* L. B. 1759; H. HOEUFFT, *spec. de iure et officio quiescendi in bello.* L. B. 1768. Neque hic praeterire licet: G. ASSER, *de iure quod est civi gentis in bello mediae, cui pro pecunia graiecticia navis est hypothecae obligata, in ipsam navem quae in itinere, cuius causa contractus initus est, ab hoste capiatur.* L. B. 1799; quae dissertatio licet pro maiore parte (pag. 1—32) spectet ius civile, vel potius ius maritimum privatum, multa tamen continet egregie disputata de iure belli et capturarum (p. 33—58).

²⁾ *Gedachten over de belangen en plichten der onzijdige mogentheden en hunne onderdanen bijzonder van desen staat bij gelegenheid der jegenswoordige Noord-Americaansche onlusten*, door Mr. LAMBERTUS IULIUS VITRINGA, *Advocaat.* 's Hage 1778.

³⁾ *Het Zeeregt van vroegeren en lateren tijd*, door N. OLIVIER, 's Gravenhage 1831. Si in superioribus nullam fecimus mentionem de iis quae in capite II huius operis reperiuntur de iure belli universe deque iuribus belligerantium invicem, haec causa est quod, ut ipse auctor ubique admonet, ad verba conflata sunt ex GROTII ac BYNKERSHOEKII scriptis, quod secus est circa argumentum quod in hacce paragrapho nobis tractandum est.

pertineant, deinde de iure commercia agendi, quod gentibus mediis belli tempore competit ¹⁾.

„Non hostes eos dico qui a neutrius partibus stant, nec ex foedere his illisve quidquam debent: si quid debeant foederati sunt, non simpliciter amici ²⁾.” Quid foederatis sit faciendum et quando medii in bello manere possint aut debeant supra iam exposuimus ³⁾. Amicos hostium etiam nostros hostes appellare neque utilitas neque ratio admittit. De his autem hic tantum sermo est. Amici nullo modo cogi possunt ut ab alterutrius stent partibus; ne tunc quidem quum bellum geritur inter gentem quandam eiusque colonias (cuius exemplum praebet bellum superiore saeculo exeunte inter Britanniam et Americam gestum) exigi potest ut partibus illius gentis unice faveant nam „belli iustitia vel iniustitia ad communem amicum nihil pertinet.” Verum eorum officium est omnimodo cavere ne bello se interponant ⁴⁾. Neque igitur opus est distinctione quam fecit VITRIARIUS ⁵⁾ ducente GROTIUS, qua generaliore sensu omnes qui non sunt socii dicantur neutrales, strictiore vero quibus media istaec conditio pacto tacito vel expresso est concessa. „Neutralitas consistit in abstinentia omnium eorum actuum, qui ad bellum directe spectant aut animum auxiliandi satis declaratum ostendunt ⁶⁾.” Verum si neutrales diligenter

1) Probe scio hoc a multis referri ad ius gentium maritimum atque ut videtur non sine iure quum arcte cohaereat cum quaestione de dominio maris: verum quum haec quaestio iam dudum in favorem maris liberi soluta videtur et nobis non agendum est de universo iure commercii sed tantum de eo tempore belli, melius duximus hoc argumentum in hac paragrapho absolvere.

2) BYNK. I. 9. »de dicto gentis mediae“, cui definitioni calculum adiicit VITRINGA, op. l. I. § 1. Cf. PLOOS v. AMSTEL, diss. l. II. § 1 et R. ROYAARDS, diss. de placito, »libera navi, libera merx.“ Trai. 1852, p. 1. not. 2.

3) Vid. pag. 99 sqq. — Quibuscum omnino cf. VITRINGA, I. § 4 sqq.

4) BYNK. l. l. PLOOS v. AMSTEL, diss. II. § 3; VITRINGA, I. § 1. Prorsus egregie sese habent quae de neutralium iuribus atque officiis scripsit REINIER VRYAART [E. LUZAC], *Briefven*, (op. l.) I. 1. p. 56 sqq.

5) VITRIAR., III. 10. § 3; „PLOOS v. AMSTEL, II. § 2; NOEST, III. 17. § 3; OLIVIER, op. l. p. 97, 98.

6) VOLLENHOVEN, diss. laud. p. 10

a bello se abstinere oporteat, non minus belligerantibus incumbit officium neutralium iura intacta praestare ac nihil facere quod eorum libertatem laedere possit ¹⁾. Sic nobilissima est quaestio quae, ut ait BYNKERSHOEKIUS, „nostra aetate magnam Europae partem turbavit et adhuc turbat” (quaeque hoc ipssimo nostro tempore vix minus in Europa atque in America agitatur), „an liceat milites conducere in amicae gentis populo ²⁾.” Verum nisi specialis lex vetet, civibus licet civitatem relinquere et ad alium Principem militatum abire; atque ubi locare se licet, certe licet et conducere: uti enim Principi amico non interdiciamus pulverem, arma, cett. apud nos comparare quibus fortasse si bellum postea intervenit contra nos est usus, cur ei interdiceretur milites apud nos legere nisi specialiter vetitum sit, veluti in Belgio Foederato obtinuisse videtur, ne quis sine Ordinum consensu ibi militem conduceret ³⁾. Neque, ut recte monuit VITRINGA, civitas, quae illam conductionem militum intra suos fines permittit, censeri potest neutralitatem non intactam servare, modo alteri belligeranti non neget, quod alterum facere patiatur: secus tamen esset si civitas ipsa suos cives locare vellet. Sic omnes conveniunt belligerantibus non esse ius copias traducendi per amicorum territorium iis ipsis invitis: „rogari debet transitus” inquit KLUIT ⁴⁾. Contra vero qui transitum concedit saepe ab alia parte censetur hostis causae favere ⁵⁾. Sic, quum, qui hostem agit in utriusque amici territorio, agit et adversus Principem, qui ibi imperat, non licet hostium bona capere aut perdere ⁶⁾ neque hostes ipsos aggredi vel persequi in amici territorio vel portu ⁷⁾.

¹⁾ PLOOS V. AMSTEL, II. § 3. — Recte monet OLIVIER, op. l. p. 99 civitates potentiores pessime saepe huius regulae non memores fuisse, Gallos imprimis turpiter nostrates commerciis cum Anglis interdixisse post annum 1795.

²⁾ BYNKERSH. I. 22; VITRINGA (op. l.) II. § 3.

³⁾ Vide KLUIT, II. F. § 373 et ab eo laud. *Groot Pluccastboek* II. p. 150, 291, 306; GRASWINCKEL, p. 892.

⁴⁾ Vide KLUIT, l. l.

⁵⁾ »Tempore belli in causa rogati transitus maxima semper cautio Reip. est de servandis legibus aequalitatis.” KLUIT, l. l.

⁶⁾ PLOOS V. AMSTEL, II. § 4.

⁷⁾ BYNKERSH., l. 8; KLUIT, l. l. § 474: » tempore belli in territorio et

Quousque autem portus extendi censeatur infra videbimus. At cum BYNKERSHOEKIUS docuit, ubi agit *de vi inchoata persequenda*, licere hostem aggredi in amici portu, sub terram, in flumine, in sinu, modo amico nullum damnum inferatur, idemque ei ius esse in terra, multi sese huicce argumentationi opposuerunt; v. c. PLOOS VAN AMSTEL qui ¹⁾ demonstrat navem, si hostem persequentem fugiens in pacatae regionis portum deferatur, ibi tutam esse nec sine alterius iniuria oppignorari posse; utrique autem hancce securitatem iure gentium debere: quod comiter a gentibus saepius esse observatum exemplis probat. Huius autem sententia non reiicienda videtur, ét propter saniorum rationem ét propter gentium usum. Exemplum enim quod BYNKERSHOEKIUS affert ex responsione Anglorum legato ab Ordd. Gener. a° 1623 data, vim quidem inchoandam non esse in communis amici portu, „met dien verstande nogtans, dat men hoopte zijne Majesteit zoude niet kwalijk nemen dat men in zee opdoende en vervolgende eenige Duynerkers, dezelve zoude mogen investeeeren en costoyeeren tot in zijne Konings havenen ²⁾,” non multum pro ipsius auctoris placito pugnare videtur cum Ordd. ibi putant Anglorum regem tamen id posse aegre ferre. Et praeterea quod a BYNKERSHOEKIO nominatim additur, „modo amico nullum damnum inferatur” etiamsi fieri posset ut ex pugna in portu amicus ille nullum pateretur damnum; hostem terra persequi in amici territorio certe ne vix quidem cogitari potest sine aliquo detrimento quod hic inde caperet.

Iam pervenimus ad iura quae gentibus mediis tempore belli circa commercia competunt. Ac videamus primum BYNKERSHOEKII sententiam. Et hic quidem docet ³⁾ „ubique gentium

portu neutro hostilia peragere est nefas: hinc vel usu gentium vel pactis obtinet, ut si quo casu naves duorum hostium eodem in portu commorentur nulla non modo permittatur violentia sed et alterutri post XXIV horarum lapsum exire demum liceat.”

¹⁾ Diss. laud. II. § 4.

²⁾ AITZEMA, *Zaken van staet en oorlog*. Lib. III. Praeterea aliter (ut animadvertit PLOOS VAN AMSTEL) Ordinibus Gen. placuisse a° 1652, videre est apud AITZEMA, lib. XXXII.

³⁾ *Q. I. P.* I. 10.

capitale fuisse et esse si quis subditus arma ad hostes vehit, verum si de subditis cuiuscunque Principis est statuere, de peregrinis non etiam." Et hic, ut postea videbimus cardo est totius quaestionis. "*Ratio*, sic pergit, iubet ut duobus invicem hostibus sed mihi amicis aequae amicus sim et inde efficitur ne in causa belli alterum alteri praeferam; *usu* inter omnes fere gentes convenit ne amico liceat ad hostem vehere arma, aliave quae veniunt appellatione τῶν contrabande: si vehant et deprehendantur ut in commissum cadant: ut vero his exceptis libere utrumque mercentur et quaecunque alia ad hostes impune vehant." Ex ratione autem communi et gentium usu urbibus obsessis aut castris aut portibus, qui navibus prorsus cincti pro obsessis habentur, nihil quidquam advehere licet: quaeque GROTIUS 1) addit *id tum demum* verum esse quum deditio aut pax exspectabatur "neque rationi neque pactis gentium conveniunt 2)." Commemorat autem nobilissimum decretum Ordd. Generalium 26 Jan. 1630 3) factum quum illo anno Ordines navibus bellicis oram Flandriae maritimam obsedissent, atque huius edicti opportunitate indicat maxime cavendum esse investigatione utrum naves mercesve re vera loco eiusmodi obsesso sint destinatae: idque patere posse aut ex litteris maritimis (*vrachtbrieven*) aut ex praesumptione si, v. c. in confinibus hostium offenduntur. — Cum autem constat navem propter illicitam contrabandorum vectionem in commissum cadere posse, non inutile est quaerere, ut fecit BYNKERSHOEKIUS in cap. XVII, an, si praeter illicita etiam licita in eadem navi reperiuntur, ipsa navis et licitae merces quoque propter illicitas publicentur. Respondet ex omnibus pactis Ordd. Generalium non tantum liberis esse navem et merces licitas, sed traditis a navarcha illicitis, continuo naves dimitti ut navigare possint ad portum

1) Ibid. c. 11. Vide PLOOS VAN AMSTEL, diss. laud. III. § 9.

2) *De I. B. et P.* III. 1, 5. n^o. 3. WHEATON, *Hist.* I. p. 182, GROTIUM hac in re defendit arbitratus eum haecce tantum exempli gratia non stricto sensu adduxisse, idque verum esse apparebit ex ipsis GROTII verbis: *ut si*, cett. Quae enim BYNKERSHOEKIUS GROTIUM tribuit verba *id tum demum* apud hunc non leguntur.

3) AITZEMA, X. p. 177, 178.

destinatum: verum quum ex hisce solis ius gentium efficere non licet, rationem esse adhibendam eamque docere esse distinguendum quod ad navem, utrum navarchae an aliorum sit: si navarchae, navis recte publicatum iri si sciverit illicitas res navi impositas esse; sin ignoraverit, navem non esse publicandam quia navarcha tunc dolo caret ¹⁾): atque eandem distinctionem valere si navis aliorum sit dominorum. In mercibus autem idem fere observandum: si licitae et illicitae eiusdem sunt domini omnes recte publicabuntur: si variorum, alter alterius dolum vel culpam praestare non tenetur.

Disceptationes de amicorum bonis in navibus hostium re-
 pertis sic dirimit ²⁾ ut GROTIUM ³⁾ secutus neminem prohiberi
 posse doceat quin belligerantium navibus utatur, quia etiamsi
 id interdicatur hoc interdictum neminem obligare possit nisi
 subditos interdicentis. Attamen navem hostis manere igiturque
 omni tempore capi posse, non vero merces amicas quae navi
 insunt: multa tamen gentium pacta huic sanae rationi obstare,
 licet recte hoc modo statutum sit in *Consulatu Maris* ⁴⁾ cap.
 273 § 3. Contra si hostium res amica navi vehuntur docet ⁵⁾
 navem nullo modo publicari posse cum amico meo ius esse
 non possit invadere navem meam, licet res vehat hostis. „Ego
 utrique amicus utrique operam praestabo in his quae neutri
 vestrum nocent et sic uterque etiam mihi operam praestabit in
 rebus promiscuis.” Quod ad hostium merces attinet quae
 navi amicae insunt, pactis quae a Belgis inita sunt valet re-
 gula quam ipsi vernacula lingua efferunt: „*vrij schip, vrij
 goed.*” „At ratione consulta, inquit, non sum qui videam cur

¹⁾ Monet auctor hanc etiam esse PAULLI iurisprudentiam in l. 11 § 2. ff. *de public. et vectig.* „quam ei dictavit sana ratio.” Cf. FLOOS VAN AMSTEL, diss. laud. IV. § 7.

²⁾ Cap. 13. — Idem FLOOS v. AMSTEL, diss. l. III. § 12.

³⁾ *De I. B. et P.* III. 1. § 5. n^o. 4. Cf. WHEATON, *Elem.* II. p. 163, 164.

⁴⁾ Historiam huius libri lingua Italica editi circa finem saec. XIV, quo primum periculum factum ius gentium maritimum, praesertim belli tempore, in systema redigendi, copiose narravit WHEATON, *Histoire*, p. 69 sqq. Vide et GROTI. not. ad. Lib. III. 1. § 5. *de I. B. et P.*

⁵⁾ Cap. 14.

non liceret capere res hostiles quamvis in navi amica repertas; id enim capio quod hostium est quodque iure belli victori cedit.” Licitum enim esse contendit amicam navem sistere „ut non ex falso forte aplustri sed ex ipsis instrumentis in navi repertis constet navem esse amicam ¹⁾,” eodemque modo licere excutere instrumenta quae ad merces spectent et inde doceri an quae hostium bona in navi lateant et si lateant ea belli iure occupare. — In fine huius capituli et totius de hoc argumento disputationis auctor scribit, superioribus scripto iam mandatis, sibi in manus pervenisse HEINECCIi dissertationem eamque tamen potius suam sententiam confirmasse quam mutasse: cum autem nobis „commodum sit conferre quae uterque dixerit”, breviter videamus quid HEINECCIUS conscripserit ²⁾).

HEINECCIUS initium facit a quaestione de dominio maris, qua in re eum *nunc* non sequemur. Acriter defendit mare clausum ac confidenter exclamat „omnes eruditos quos non immoderatum patria studium in transversum egit secundum SELDENUM litem dedisse ³⁾.” Hoc autem fundamento totum suum systema superstruens ex eo deducit, Principem qui alius usum maris sui indulget ad commercia legitima, iis etiam leges dicere posse et statuere quas merces vel per mare suum vehi, vel provinciis suis inferri, vel denique iisdem exportari velit: hanc autem prohibitionem ratam esse et ratione subditorum et ratione exterorum ⁴⁾). Hoc igitur posito non amplius quaeritur an Princeps etiam exterorum commercia cum suis hostibus prohibere possit, sed quarum mercium vecturam iure interdicit ⁵⁾). Auctore GROTIUS merces quae ad hostes vehuntur tripartito dividit: aliae enim in bello tantum usum habent, aliae voluptati unice inserviunt, aliae et in bello et extra bellum

1) Cf. HEINECC. diss. l. II. § 10—12 qui copiose hac de re agit.

2) Cf. WHEATON, *Hist.* I. p. 258, 259. BYNKERSHOEKII sententiam accurate expositam invenies apud HAUTEFUILLE, *des droits et des devoirs des nations neutres en temps de guerre maritime* (Paris 1848, 4 vol.), Discours Préliminaire, p. 115, 116; HEINECCIi ibidem, p. 118.

3) Cap. 1. § 2.

4) § 4 & 5.

5) § 6. & 7.

utilitatem afferunt ¹⁾). De prioribus quin alterum genus iure prohibeatur, alterum eodem iure concedatur, contendit neminem dubitaturum: GROTIUM vero errare quum dicit tertii generis merces non nisi quibusdam casibus prohiberi posse: omnium enim (pecuniae, commeatus, navium materia, apparatus nautici) quibus aliquo modo vires hostium auferentur mercium prorsus esse prohibendam vecturam ²⁾). Merces vetitas *contrabando* vocari inde explicat quod *bandum* sine *bannum* significaret medio aevo legem vel decretum principis vel magistratus, sonante tuba a ministro publico promulgatum: *contrabando* igitur quidquid contra publicam legem vel Principis fit interdictum ³⁾): quae merces autem hoc nomine sint intelligendae: explanatum esse pluribus gentium conventionibus ⁴⁾). In fine huius prioris capituli docet merces vetitas si inveniuntur fisco cedere, idque ex iure Romano vocari *in commissum cadere*. — Atque sic transit ad alterum exercitationis partem quae agit de navibus ob mercium vetitarum vecturam commissis. Si vectigal (sic argumentatur ⁵⁾) mercibus quae vehuntur a principe impositum non solvitur, merces tantum committuntur quia vectigal mercibus imponitur, non navi; si vero merces illicitae declarantur lex commissi est ne merces eo vehantur adeoque ea lex et

¹⁾ § 8.

²⁾ § 9. — Eadem fere leguntur apud FLOOS v. AMSTEL, diss. I. V. § 1.

³⁾ § 10. Quas autem auctor hac paragrapho et inprimis sequenti ex iure Romano huc affert, *res quae venire non possunt*, hae cum nostro argumento nihil commune habent: inspiciantur modo titulorum quos laudat inscriptiones nempe: Tit. I. lib. XVII. ff. » *De contrahenda emtione venditione et de pactis inter emtorem et venditorem interpositis, et quae res venire non possint*. et tit. 40. Cod. lib. IV. *Quae res venire non possint et qui vendere vel emere vetentur*, et iam patebit illud tantum spectare ius civile. Magis huc faciunt *res quae exportari non possunt*. (Tit. 41. Cod. Lib. IV) sc. ad barbaros. In eundem errorem ac HEINECCIUS incidit FLOOS v. AMSTEL, V. § 1.

⁴⁾ § 14. Nominatim provocat ad Tractatus Hispaniae regis cum Belgis, regis Galliae cum civitatibus Hanseaticis et cum Batavis, Anglorum cum Polonis et Suecis, cet.

⁵⁾ Cap. II. § 3. De iure vectigalium imponendi in libero mari sequenti capite agemus.

merces ipsas et navem complectitur, quod et ita valebat iure Romano. Attamen si istae naves non ab exercitore sed a magistro navis oneratae sint, merces tantum publicandae, navis domino restituenda, quod et saepe sic inter gentes pactis constituitur ¹⁾. De mercibus licitis cum illicitis in eadem nave oneratis statuit, si separari non possunt, omnes fisco cedere; ceterum aequum esse licitas non committi, quam aequitatem hodie gentes passim sequuntur ²⁾. Si hostium res in navibus reperiantur varios casus distinguendos esse contendit, secundum ea quae in *Consulatu Maris* leguntur, atque haec (quae supra iam indicavimus) sana arbitratur niti ratione ³⁾. Adversatur igitur regulæ cui Belgæ semper sedulo addicti fuere *libera navi libera mera*, ex eadem fere ac BYNKERSHOEKII ratione, quod nempe hosti in hostem omnia licita sint.

Ecce igitur BYNKERSHOEKII ac HEINECCII sententias de hoc argumento breviter sed ut nobis blandimur, accurate expositas. Si iam differunt in principio quo quisque opinionem suam fundat, cum ille placitum hocce notissimum oppugnat propter ius belli nullis finibus circumscriptum, hic insuper propter dominium maris et edicta Principum de marium navigatione quae exteros etiam obligarent, in hoc tamen conspirant paroemiam *vrij schip vrij goed* pactis tantum niti nec ullo modo defendi posse ex iure naturæ quod gentes etiam obligat. Neque hac in re soli hanc amplectuntur opinionem, ex nostro aevo exemplum laudare hic liceat BILDERDYKII nostri ⁴⁾ non minus

¹⁾ § 3—6.

²⁾ § 7.

³⁾ § 8, 9.

⁴⁾ *Geschied. des Vaderl.* XII. p. 162. »In 1630 ontstond er eenige onmin met Hendrik II, nu Koning van Frankrijk, over die fraaije grondregel die sedert (en vooral in 1778 enz.) zooveel beweging gemaakt en zooveel jammers voortgebracht heeft: *vrij schip, vrij goed*. Tegen dezen vervloekten grondregel, altijd door de Hollanders (als kooplieden) doorgedreven, beval Hendrik II, dat niet slechts vijandelijke of andere verboden goederen op de schepen waar zij gevonden werden, maar ook al de overige daarbij gevonden goederen, verbeurd verklaard zouden worden. Men kwam echter weldra overeen om de verbeurdverklaring bij de vijandelijke en verboden waren alleen te bepalen.” Quibus annotat prius illud edictum

certe iuris disciplinae peritissimi quam artium literarumque; qui in patriae historia narranda plus semel acerrime invehitur in regulam illam quam Belgae maximi faciebant, et nisi coeci simus iis quae hisce annis hocce belli tempore fiunt, etiam nunc strenue defendunt. Bonum tamen factum quod alii surrexerint qui luculenter demonstraverint, paroemiam illam non tantum non pugnare cum summis iuris gentium principiis verum unicum esse systema quod iis congruum sit. Fecerunt hoc autem omnes scriptores quos (praeter duos illos quorum opiniones exposuimus) supra nominavimus ac primus cons. PLOOS V. AMSTEL, in diss. laudata 1).

Praemissis nonnullis de naturali libertate commercia agendi deque gentium mediarum iuribus atque officiis universe, probare conatur bellum eam libertatem nullo modo tollere posse; saltem non iis qui in eo bello medios se tenent 2). Monet autem multos hac in re sibi collisionem iurium deprehendere visos esse interque illos HEINECCIUM 3); collisionem nempe inter ius quo mediis gentibus libertas commercia agendi competit, ac inter aliud quod belligerantis est omnia, quae ad hostem transferuntur, intercipiendi. At indignabundus exclamat summa iuris principia ex ipsa iuris notione atque natura nunquam inter se pugnare posse: unum igitur alterumve illorum, si pugnant, verum esse, aut ambo recte sese habere. Primum autem eos refellit qui commercia interdicendi licentiam superstruunt *dominio maris* egregie ostendens ipsum hoc fundamentum gravi vitio laborare 4). Deinde demonstrat ex eo quod

niti communitate maris in quo nemini imperium est et iure intercipiendi ea quae in meam perniciem hosti meo afferuntur; prorsus ex BYNKERSHOEKII mente. — Vide porro XI. p. 85 et XII. p. 13, 14, 48. » Het Hollandsche absurde systema van den koopmansgeest, » de valsche Holl. stelregel: vrij schip, vrij goed.»

1) Ne longior fiat haec commentatio atque repetitioni inutili parcamus hic tantum referemus quid singuli in hac materia novi protulerint. In superioribus enim iam satis indicavimus quibus in locis cum BYNKERSHOEKIO ac HEINECCIO convenient.

2) Cap. III. § 2.

3) Diss. laud. I. § 9.

4) III. § 3, 4.

gentes nullum inter se tribunal agnoscant, quodque nulla gens (nisi ex ratione foederis) obligetur alterius gentes imperatis obedire, ridicule non minus quam absurde in Edictis v. c. in litteris quae conceduntur navibus praedatoriis (*kaperbrieven*) vetari aliquid afferri ad edicentium hostes, neque hoc eo defendi posse quod hostium meorum vires commerciis, quae cum mediis gentibus exercent, augeantur. Si enim media gens — eamque ad hoc cogi non posse constat — fidem praestaret eiusmodi edicto et mercaturam cum civitate amica sed edicentis hosti rumperet, hoc ipso rumpendi facto iure censeretur favere alteri genti: ita nempe ut huic, si altera gens destituta sit illis mercibus, facilius foret victoriam reportare: sic autem gens media uni belligerantium parti damnum afferret alterique auxilium, et media manere desineret. Hisce itaque ita sese habentibus videtur ex indubitatis iuris naturalis principiis gentiumque placitis necessario profuere, gentem liberam in bello mediam omnigena cum utroque bellantium commercia exercere posse, adhibita tamen hac cautione ne quod alteri concedat alteri neget" 1). Ut autem haec gentium *naturalis* libertas magis fiat conspicua, inquit deinceps in varia commerciorum usitatoria genera. Ac primum dispicit de emptione venditione qua in re prorsus adversatur GROTIUS aliisque qui calculum adiciunt huius mercium divisioni et regulis quas super earum vectura posuit 2). Quod ad primum istud mercium genus attinet, quae bello soli inserviunt, contendit populum qui arma et bellicum apparatus vehit suo tantum iure uti (modo nullum obstet pactum conventum): ea enim non affert ut alteruter bellantium inde capiat detrimentum sed ut ipse inde honestum capiat lucrum, quod eo magis urgendum videtur si populus ex hoc commercio totam suam existentiam, ut ita dicam, habet: v. c. si inhabitat regionem abundantem ferro aliisque metallis ad arma conficienda idoneis. Neque ullo modo gens media censi potest alterum bellantem laedere cui eadem officia praestare, si velit, non recusat 3). — Eas quae promiscui usus

1) § 5.

2) Vide supra pag. 157 sq.

3) Auctor gloriatur se hac in re secutum SAM. COGCEII sententiam.

sunt, aiunt intercipi posse si aliter belligerans se tueri nequeat. At, inquit auctor noster, quis huius necessitatis arbiter erit? ista autem *necessitas* facile unicuique praetextum praebebit quo quodque commercia agendi ius neutris competens tollatur ¹⁾); uno tamen casu ea necessitas recte adhibetur cum nempe destinatae sint locis obsessis aut iis quae cum his aequiparantur ²⁾ tunc autem et naves et merces iure capiuntur non propterea quod ea vectura neutralitas violetur sed revera ob necessitatem quandam, quod nempe operationes militares eo modo impedi-
rentur v. c. si urbs fama cogenda sit ut capituletur.

Libertate emptionis venditionis sic defensa transit ³⁾ ad alium contractum mediis gentibus vix minoris momenti, locationem conductionem: atque quod ad hanc attinet ex naturali libertate emendi vendendi simplicissima argumentatione liquere ostendit unicuique genti mediae licere naves suas utrisque bellantium aut alterutri locare cum hi queri nequeant sibi eo iniuriam afferri. Quid vero iuris si in illis amicis navibus vehantur hostium merces? Contra vulgarem opinionem eas diripi posse ex eo quod in hostem omnia liceant eorumque bona ubique reperta rapi possint, obiicit id indistincte verum non esse, cum iam constat hosti nullum ius esse in mediae gentis territorio ⁴⁾ huiusque iura intacta esse servanda; navem aequae tamquam mediae gentis territorium esse considerandam ac castella portusque. Deinde quum contra ius gentium, ait, non peccat qui amici sui, licet hostis tui merces transfert, quo iure igitur tu qui meus es amicus, meam navem invadis quum actibus tuis bellicis nullum iniicio impedimentum? Neque

¹⁾ § 8. cf. WHEATON, *Elem.* II. p. 185 sqq.

²⁾ § 9. et Append. ad vers. Belg. p. 318, 319.

³⁾ § 11.

⁴⁾ De navi territorio gentis mediae aequiparanda multa agitata sunt in Gallia in illustri quaestione de navis *Carlo Alberto* captura a^o. 1832. Vide hac de re commentationem v. cl. DEN TEX in *Bijdr. voor R. & W.* VIII. p. 541 sqq. inprimis p. 543, 546, 555. Naves bellicas tamquam partem territorii gentis ad quam pertinent esse existimandas iam olim censuit GROTIUS in *Holl. consultatiën en Adviesën* III. p. 703, eique assentitur cons. N. OLIVIER, *Het Zeeregt van vroegeren en lateren tijd.* p. 62, 63.

recte procedere docet BYNKERSHOEKII argumentationem ¹⁾, quod quia licet navem visitare ut pateat utrum navis vere sit pacata an forte falso utatur aplustri, etiam liceret inquirere utrum merces hostium sint an non: in via enim communi qualis est Oceanus, in quo quasi in naturali statu versamur, nil iuris habet alter ad explorandum quid veham si eo sim amicus. — Ex aequissimis igitur gentium iuris principiis patet haustam esse Belgarum paroemiam *vrij schip, vrij goed*. In altera ratione, cum hostili navi amici res vehuntur, BYNKERSHOEKIO prorsus assentitur ²⁾.

In cap. V agit de mercibus quae vulgo *contrabanda* dicuntur et de huius denominationis ac distinctionis origine. Ex superioribus autem iam patet secundum eum nullas esse merces quarum vectura ad hostes ex iure naturali vetita sit: neque ratione exterorum contrabanda esse quae sic in Principum edictis vocantur, quum illa edicta exteros obligare non possunt ³⁾. Eius autem distinctionis inter merces licitas et illicitas originem adscribit „partim iuri Romano, partim iuri gentium Christiano mediæ aevi sive Romanorum Pontificum decretis ⁴⁾.” Quod ad ius gentium pacticum attinet, contrabandorum nomine BYNKERSHOEKII secutus auctoritatem, tales merces intelligit quae, uti sunt, bello aptae sunt, et in eo usum praestant, etiamsi et extra bellum adhiberi possint ⁵⁾. Longius autem est doctorum disceptationes sequi, quaenam merces hic intelligendae sint: omnes multis de eo disseruerunt ac conveniunt de *nonnullis* mercibus nondum constare, quum aliis pactis disertim nominentur aliis excludantur ⁶⁾.

Quum sic autem argumentum huius dissertationis exposuimus, patet consultissimo PLOOS VAN AMSTEL laudem esse tribuendam quod ille omnium primus Belgicorum mercatorum systema niti

1) Vide supra p. 157. Copiosius etiam de eadem re agit c. IV. § 8.

2) § 12; vide supra p. 156.

3) Cap. V. § 1.

4) § 2, 3, 4 et Append. ad. vers. Belg. p. 319.

5) § 5.

6) *Tabacum* contrabandis non esse adnumerandum post multorum controversias decrevit BYNKERSHOEKIUS, quum scribit eam quaestionem „in fumum abiisse:” *Q. I. P. I: 10*; cf. PESTEL, diss. laud. p. 36 in nota.

docuerit ipsis iuris principiis. Nec miramur eius argumentationes ab aliis etiam assumi quorum plerique eum huius placiti laudant auctorem; neque igitur opus erat ut C. VOLLENHOVEN dimidiam partem dissertationis laudatae tribueret eiusdem systematis expositioni ubi non multa invenies non ab antecessore iam conscripta, eumque huius dissertationem ante oculos habuisse patet ex praefatione. Vel sic tamen haud spernenda sunt quae in ipsa illa priore parte agit VOLLENHOVEN *de neutralitate*, deque iis ex quibus eam violari patet. Statum quaestionis ex iure de mediis gentibus quoad mercium ad bellum necessariarum veturam hunc esse docet, an ea vectura animum unum alterumve adiuvandi declaret? quod easdem ob causas ac supra iam vidimus negat, nisi ille animus ex aliis factis appareat ¹⁾. Deinde naves neutralium gentium nullam unquam aliam ob causam capi posse contendit nisi ob neutralitatem non servatam, v. c. cum navis sua sponte se pugnae navali immiscuerit, cum speculatorium in damnum alterius belligerantis exercent, cum portum ab hostibus obsessum intrare conata sit ut obsessis opem ferat aut sine consensu obsidentis ²⁾. In quaestione igitur de placito *libera navi libera merx* decisionem tantum ab eo pendere an neutrales mercibus belligerantium vehendis laedant neutralitatem, quod certe negandum cum belli tempore maneat libera commercia agendi facultas ³⁾. — Sed ne repetamus, quae antea iam ex aliis auctoribus scripto mandavimus, transeamus potius ad secundum huius disputationis caput "quid nempe Belgis iuris sit hac in re ex iure pactitio." Hoc autem ius pactitium exinde originem ducere ostendit quod cum medio saec. XIII navigatio Italicorum et Hanseaticorum multum cepit detrimenti ex piratarum cursibus, et conventiones igitur ad tutam mercaturam agendam essent ineundae, hae tantum servarentur pacis tempore, sed bello exorto illi, qui medias sequebantur partes, iterum depraedationibus exponerentur. Neutralium igitur in bello conditio accuratius erat definienda ⁴⁾; statuendum nempe

¹⁾ p. 15.

²⁾ p. 17—20.

³⁾ p. 22.

⁴⁾ p. 27—28.

erat mutuo consensu de mercibus quas genti mediae liceret belligerantibus advehere, deinde de mercium hostilium vectione navi neutra et de neutrorum bonis in navi hostili repertis, postremo ad quae loca libere navigari posset ¹⁾). Olim autem in omnibus fere foederibus constitutum erat: „gentem mediam non posse bellicum apparatus subministrare belligerantibus neque res hostiles navibus suis vehere.” Medio vero saeculo XVII alia placuere consilia et mutata paullatim est altera regula ita ut merces hostiles navi neutra salvae forent, id quod Belgice vocatur: *vrij schip, vrij goed* ²⁾). Auctor deinde exposito foedere quod Belgae iniere cum Carolo II Angliae rege a^o 1674 quodque fundamenti instar est eorum systematis neutralitatis ³⁾), raptim persequitur historiam Belgarum mercaturae sub utroque systemate ⁴⁾), recensetque merces quae ex eorum foederibus illicitae sint habendae, omnes nempe, quae bello directum usum praebent: materiem vero navalem, victum amicumque plerumque esse licitas ⁵⁾). Denique in fine disputationis quaestionem attingit quaenam sint iura gentium mediarum dum pactis carent. Qua in re putat id difficillimum esse dictu quum ius consuetudinarium in hac materia non facile reperitur et gentes de iure gentium naturali dissentiant. Quod certe in auctore nostro mirari licet qui in priore parte dissertationis tam acriter defenderat libertatem mercaturae etiam tempore belli: qui enim sibi persuasum habet id unice rectum esse, eum etiam oportet hoc ubicunque potest propagare. Statuamus igitur gentes medias quae nullo foedere cum

¹⁾ p. 29.

²⁾ p. 30. Sic pace Bredana (31 M. Jul. 1667) pactum est ut in bellis maritimis Belgis liceret hostibus Angliae advehere res bellicas ac mercatorias; OLIVIER, op. l. p. 97.

³⁾ p. 31—35.

⁴⁾ p. 45—53. Cf. cum his duo illustria foedera quae Belgae cum Galliae rege iniierunt annis 1646 et 1662, quaeque exstant apud KLUIT, *Hist. foed.* § 236, 240.

⁵⁾ p. 53—56. vide KLUIT, *Hist. foed.* § 446—449. Contrarium obtinuisse in bellis maritimis recentioribus inter Galliam atque Angliam gestis commemorat OLIVIER, l. l.

aliis obstrictae sint, tuto mercaturam agere posse secundum paroemiam: *libera navi libera merx.*

Quum sic igitur attigimus ius Belgarum pactitium operae pretium est inquirere quid KLUITIUS, quem in nostratium pactis foederibusque unum omnium versatissimum profecto dicere licet, hac de re statuerit. Totum argumentum accurate pertractavit in cap. VIII *Historiae foederum*. Iam antea strenue defenderat naturalem facultatem cuique genti competentem commercia libere agendi ¹⁾: hinc autem addit ex iure naturali eam quoque extendi ad hostes alterius tempore belli neque igitur ab his merces, iure gentium hodierno vetitas, excipi. E contrario vero etiam cuius genti liberam esse facultatem restringendi vel suam ipsius libertatem, vel gentis alterius *suo* in territorio aut *per suum* territorium, sive edictis sive pactis ²⁾. „Ex usu Europaeo hodierno, inquit, satis generaliter recepto duo haec principia obtinent: 1°. Sit libera inter gentes navigatio et commercium salvo singulis statuendi iure de commodis suis, nisi ex pactis prohibeantur; 2°. Sit libera gentium neutrarum cum hostibus alterius navigatio et commercium durante inter hostes bello. — Admittuntur hinc tamen duae exceptiones: prima est in locis obsessis, quae nititur et usu recepto: altera in mercibus vetitis sive contrabandis ³⁾.” Hisce regulis generalibus iuris Gent. Eur. quibus Belgae facto subscripserunt, adiungit alias, quas hinc tamen non describimus, quum in superioribus KLUITII dicta et quae affert exempla suis locis iam annotavimus.

Non multum a tribus illis quos ultimo loco nominavimus discedit PESTELIUS, *F. G.* filius: „in libero, inquit, mari libere navigare licet; bellum quod inter alios populos geritur huic iuri derogare nequit; qui medius sedet inter duos, ob eam causam quod duo certant, ius suum in loco ad neutrum pertinenti vel ius cum utroque aut alterutro agendi et mercandi amittere, naturali hominum et gentium aequitati repugnat. Verum aliquam huius iuris sui partem gentes in commune commodum abdicare potuerunt, sive tacite sive solemniter

¹⁾ § 229.

²⁾ § 445.

³⁾ § 446 et 447.

pacto, sicut fecerunt in quaestione de mercibus vetitis" 1). Ceterum diligenter inquisivit in variorum praesertim in BYNKERSHOEKII GEOTIICAE sententias, inprimis de locis obsessis 2) et de hostium mercibus in navibus pacatorum repertis 3), quibus tamen post omnia quae de illis iam egimus facile supersedere nobis licebit.

At plura dicenda sunt de eo qui hoc nostro saeculo hanc attigit materiam, cons. F. E. BERG. In commentatione qua inquit, quousque placitum *libera navi libera merx* recentioribus gentium pactis servatum sit 4), egregie ex historia exponit veteris systematis rationem quod nempe quum merces et navis semper eiusdem essent domini igiturque nunquam tunc temporis distinctione opus erat inter navem mercesque, olim ignotum erat quod postea invaluit et minoribus civitatibus interque eas Belgio inprimis nostro maxime proficuum fuit ut aliena navi merces veherentur 5): exinde etiam explicanda duriora illa placita *Consulatus Maris*. Quum vero cresceret mercatura, frequens ea mercium captura damnosissima coepit esse mercantibus, igiturque paullatim foedera pangebantur, quibus concedebatur libertas navigandi navibus mediarum gentium, licet hostium mercibus onustis. BERG contendit primum huius generis pactum esse quod a° 1642 inter Angliam et Lusitaniam initum est eoque memoratu dignius quod hoc unicum sit foedus quo Britanni hoc exterae genti concesserint 6). Ex eo inde tempore, inprimis vero post pacem Traiectinam, quum de novo illud placitum expresse sancitum fuit, quum Ludovicus XIV iam a° 1688 contra ipsa quae inierat 7) foedera edictum promulgaverat quo oppositum systema continebatur 8), paroemia

1) Diss. laud. p. 35.

2) p. 37 sqq.

3) p. 40 sqq.

4) *Bijdragen voor R. en W.* II. p. 247 sqq.

5) Quod Belgice uno voc. audit *vrachtpaart*.

6) Cf. ROYAARDS, diss. I. p. 56. At ipsum hoc revocatum est art. 11 foederis inter easdem potestates icti die 3 M. Iulii 1842, quod exstat apud WARTENS, *Nouveau recueil général de traités*, Tom. III (Gött. 1845) p. 327 sqq.

7) V. c. foedus cum Belgis a°. 1648 initum in quadriennium, deinde vero renovatum.

8) Quod dicitur *Ordonnance de la marine*. Cf. WHEATON, *Hist.* I.

libera navi, libera merx per totam fere Europam invaluit. Quum vero illud edictum Ludovici a° 1744 iterum promulgaretur et Anglia hoc secuta esset exemplum, haec foederum turpis violatio ansam praebuit illustri illi foederi quod vocatur *Neutralitatis armatae* ¹⁾, quod inierunt Russia, Dania et Suecia, cui postea accesserunt Hollandia, Borussia, Austria, Sicilia et Lusitania, quodque agnoverunt Gallia atque Hispania: Britannia sola fere ei accedere recusavit, licet non expressis verbis sed factis animum suum palam fecerit. Regula igitur illa censenda est valere per totam Europam, Anglia sola excepta ²⁾. — Deinde maxime notandum quod auctor scribit ³⁾ inter eas gentes quae post restitutam Europae huius saeculi initio libertatem foedera antea inita non renovarunt, valere ius gentium naturale: quidque hoc sit in hac materia mox luculenter certe exponit. Verum si haec conferas cum iis quae leguntur in dissertatione cons. PLOOS VAN AMSTEL pleraque invenies ad verba fere eadem ⁴⁾: quum autem hoc loco hanc dissertationem non laudat sed ex aliis eius scriptis ⁵⁾ patet eam illi optime innotuisse, hic videtur aliquid plus latere quam

p. 149 qui tamen hoc dictum defendens praetervidisse videtur quod luculenter indicavit BERG, LUDOVICUM eo promulgando turpiter violasse ante inita foedera. WIKATONEM nimis hac in re secutus esse videtur cons. ROYAARDS, in diss. l. p. 58 sq.

¹⁾ Cf. H. M. VAN DE POLL, *diss. iurid. inaug. de principiis foederis quod dicitur: Neutralitas armata*. L. B. 1821.

²⁾ Postquam haec scripserat cons. F. K. BERG, Anglia accessit etiam ad illud systema: bello nempe quod hoc ipsissimo nostro tempore gerebatur primum a veteribus suis moribus deflexit, neque ab hac mutatione aliena videtur societas cum Gallia inita. Vide v. c. *Annuaire des deux Mondes* 1854—55, p. 342: „Le 15 Avril 1854 parut dans la Gazette de Londres un ordre en conseil qui constate ce retour aux véritables règles. De toutes les anciennes prohibitions décrétées contre les neutres le gouvernement ne retient que le droit de saisir les articles de contrebande de guerre et d'empêcher les neutres de porter les dépêches à l'ennemi.” Verbo etiam hoc monet HEFFTER, *Europ. Völk.* (ed. 3 Berlin 1855.) p. 291 et 310—312 & VON WOHL, op. l. p. 426 in nota.

³⁾ p. 261.

⁴⁾ V. c. quae scribit navem esse vel non esse territorium gentis, hosti omnia in hostem licere, de collisione iurium, cet.

⁵⁾ Vide v. c. *over de afschaffing der Kaapvaart*. p. 163.

amica virorum doctorum conspiratio. — Nolumus tamen sine causa vituperare, hoc igitur lubenter concedimus nos nunquam eandem rem *Belgico* sermone tam egregie expositam invenisse quam auctor noster in hac fecit disputatione, quaeque pro maiore parte repetit in altera quam eodem fere tempore conscripsit commentationem de praedatorum navigatione abolenda, de qua infra nobis erit agendum.

Strenuis illis libertatis commerciorum agendorum facultatis defensoribus adnumerandus est insuper e nostratibus alius Ictus eximius, LAMBERTUS IULIUS VITRINGA quem etiamsi circa superioris saeculi finem scriptoriam exstiterit, quum peculiari quadam occasione de nostro argumento egerit, hic demum separatim commemorare nobis liceat. Scilicet, ut recte monuit cons. OLIVIER ¹⁾, in bello quod superiore saeculo exeunte gerebatur inter Angliam atque Americae civitates unitas, hae facile gentibus mediis liberam cum hostibus mercaturam ex principii iam a nobis expositis concedebant: Anglia vero, ut modo vidimus veteri systemati fortiter usque ad nostra tempora addicta, graviter ferebat quod nostrates inprimis liberam illam cum Americanis mercaturam agere pergebant, atque non solum postulabat ut desisteretur illa mercium vectura, sed naves Belgicas saepe etiam capiebat aut visitationi vel in pleno mari obnoxias reddebat. Haec autem Anglorum tyrannica agendi ratio VITRINGAE ansam dedit ut gentium mediarum inprimis Belgarum in illo bello iura intacta vindicaret. Opusculum in tres divisit partes: praemissis nempe in prooemio nonnullis de ipso illo bello Americano (et monere liceat, auctorem etiamsi saepe profiteatur se nolle iudicium ferre de alterutrius causae iustitia an iniustitia, tamen saepius satis perspicue enuntiare se ab Americanorum partibus favendo haud alienum esse) primo capite inquit utrum Europae civitatibus liceat ac prosit in illo bello medias manere, deinde exponit iura quae generaliter ex neutralitate tempore belli profluunt, denique investigat quaenam observanda sint a gentibus mediis bello civili ut tunc temporis inter Britanniam eiusque colonias exorto.

Eorum quae in priore illo capite conscripsit auctor, supra iam

¹⁾ Op. laud. p. 105 sq.

fecimus mentionem: hic igitur nobis dispiciendum est de altera parte eius opusculi ubi copiose de commerciis agit. Videlicet contendit VITRINGA ex ipso iure naturae necessario sequi ut hosti omnimodo liceat cavere ne alterius bellicas vires crescant, neve mediae gentes hostibus advehant ea quibus eorum vires augeantur: quid autem illis rebus comprehendatur docere pacta a gentibus inita ¹⁾. Attamen non licere visitare mediarum gentium naves nisi revera pateat eas destinatas esse portui hostili ²⁾. Quod ad ipsam navem quae merces illas illicitas vehit attinet, iure naturali dicendum videri eam in commissum cadere posse, iure gentium vero secus esse conventum: BYNKERSHOEKII autem distinctionem navis merciumque dominos inter gentes nullius pretii esse ³⁾. Praeter autem contrabanda ac merces locis obsessis ⁴⁾ destinatas ceteroquin mercaturam prorsus liberam esse: merces amicas vehere licere navi hostili, contra etiam merces hostiles navi amica, qua in re BYNKERSHOEKIUM refellit ⁵⁾ iisdem argumentis ac supra iam ex aliis scriptoribus commemoravimus, navem gentis mediae territorio esse equiparandam atque hostibus non licere amicam terram invadere. In exiguo igitur VITRINGAE opusculo iam clare et perspicue positae sunt regulae quae hodie magis magisque inter gentes Europaeas in bellis maritimis praevalere incipiunt ⁶⁾. —

¹⁾ II. § 6.

²⁾ § 11.

³⁾ § 6 et 9.

⁴⁾ Fortasse non inutile est monere *locis obsessis* intelligi quos nunc duplici modo indicamus: *belegerd* et *geblokkeerd*. Vid. BYNKERSH. *Q. I. P.* I. 11. et diarium *Themis*, *Regtskundig Tijdschrift*, (1856) II. p. 665 sqq. ubi nonnulla collecta invenies de recentioris temporis decretis circa loca obsessa.

⁵⁾ § 13 et 14.

⁶⁾ Commemorare hoc loco liceat stipulationes quas pactae sunt potestates maiores participes congressus Parisiensis, quae leguntur in *le Moniteur* 29 April 1856, quibus et nostrates sicut aliae etiam Europae civitates calculum adiecerunt, *Staatscourant* 25 Junij 1856. Scilicet haec ipsius declarationis verba sunt: » 1°. la course est et demeure abolie; 2°. le pavillon neutre couvre la marchandise a l'exception de la contrebande de guerre; 3°. la marchandise neutre a l'exception de la contrebande de guerre n'est pas saisissable sous pavillon ennemi; 4°. les blocus pour être

Quae in ultimo capite agit VITRINGA de officiis erga colonias quae se in libertatem vindicant ad eadem redeunt ac quae supra iam in argumento de foederibus pertractando exposuimus: hic igitur tantum monebimus ea non minoris aestimanda esse quam quae in prioribus capitibus auctor tam egregie pertractavit.

Expositis ita nostratium meritis in iure belli investigando vix opus erit consulto insuper indicare quanti et exteri eorum faciant operum. Qui plura requirit quam quae hic atque illic ex WHEATONIS, HEFFTERI, aliorumque scriptis attulimus testimonia vel inspiciat modo horum auctorum opera, et statim videbit pleraque eorum quae scripserunt niti aut corroborari regulis a nostratibus positis atque idoneis argumentis sive ex ratione sive ex gentium usu firmatis. Vel tum etiam quum ab illis dissentiendum est illorum auctoritatem tamen non parvi faciunt. Inprimis hoc valet de BYNKERSHOEKIO deque placito ab eo defenso merces hostiles amica navi vectas in commissum cadere. Operae pretium est videre quae Ampl. HAUTEFEUILLE iuris gentium maritimi peritissimus in docto atque elaborato opere de iuribus atque officiis gentium in bello mediarum, iam supra a nobis laudato, de hac materia conscripserit. Contendit nempe BYNKERSHOEKIUM hac in re in errorem adductum fuisse edictis Ordinum Generalium ¹⁾, deinde

obligatoires doivent être effectifs, c'est à dire maintenus par une force suffisante pour interdire réellement l'accès du littoral de l'ennemi." Haec autem ea ipsa continere, quae strenue a nostratibus certe recentioribus scriptoribus ubique defensa sunt non opus erit monere. Operae pretium est conferre orationem quam de illis stipulationibus, inprimis de secunda, habuit in parlamento Anglico ampl. PHILLIMORE, auctor operis saepius a nobis laudati, qui hac opportunitate se ostendit veteris systematis Anglici acerrimum defensorem (vid. *The Times*, May 7, 1856). Quae autem ex nostratium scriptis attulimus iam sufficient ad demonstrandum virum amplissimum errasse, saltem quod ad nostram patriam attinet, quum dixit: »Every iurist whether in France, in *Holland*, in Spain, in Germany, in England or in the United States, every iurist of eminence has written in favour of this now repudiated law."

¹⁾ *Discours préliminaire*, p. 116: » Une des sources où BYNKERSHOEK a puisé ce que j'ose appeler ses erreurs est la législation de son pays, de la Hollande; ce grand homme ne fut pas exempt de cette influence

eum contrarium scripturum fuisse si paullo diutius vixisset et videre potuisset Anglorum erga gentes medias tyrannidem in bellis post annum 1744 gestis. Universe autem hoc verum esse libenter concedimus: at liceat in memoriam revocare quod supra auctore cons. BERG attulimus ¹⁾, quod et ipse HAUTEFEUILLE postea scripsit ²⁾, ipsa illa bella cum Anglia gesta causam fuisse cur per totam Europam aequae ac in patria nostratum demum acrius et melius quam antea defensa sint mediarum gentium iura. Quid tamen BYNKERSHOEKII hac in re scripta etiam nunc valeant melius quam multorum verbis docemur versione Anglica quae hoc ipso saeculo (a^o 1810) in America prodiit primi libri eius *Quaestionum Iuris Publici* additis animadversionibus doctissimi DU PONCEAU ³⁾.

Ceterum non contendimus nos in hocce capite totum ius belli pertractasse, neque omnia exposuisse quae nostrates in ea materia egerint: sed *primariam* quandam partem, ut speramus, non praeterimus. Utinam in patria nostra, ubi primum ius belli ex pristini temporis rationibus accurate expositum est, mox aliquis existat qui patrio sermone idem argumentum secundum huius disciplinae progressus denuo pertractet. Is certe de patria HUGONIS GROTII optime merebitur!

qu'exerce presque toujours sur nous l'amour du pays qui nous a vu naitre: presque toutes les citations par lui faites pour soutenir les solutions qu'il donne, sont-empruntées aux édits des Etats Généraux."

¹⁾ Vid. supra p. 168.

²⁾ p. 119 sqq. ubi agit de praeclara disputatione ampl. HÜBNER, *de la saisie des batiments neutres* quae eodem anno (Hag. Com. 1759) prodiit et eadem placita defendit ac dissertatio cons. FLOOS VAN AMSTEL.

³⁾ Haec dum typis mandantur prodiit opusculum: *voorzittingen over de neutraliteit vooral in verband met de scheepvaart der onzijdige volken; gehouden in de maatschappij Felix Meritis door Mr. J. A. MOLSTER, Advocaat te Amsterdam* (Haarlem 1856). Auctor videtur satis populariter gentium mediarum iura circa commercia exposuisse: at miror eum non ausum esse urgere ipsum illud ius belli tempore libere commercia agendi ex ipsa natura neutralitatis gentibus mediis competens. Vid. p. 43, 49.

CAPUT IV.

DE IURE GENTIUM MARITIMO ¹⁾.

Ad ultimam nostri propositi partem accedimus, in qua nobis nobilissima tractanda restat quaestio de dominio maris: quam nostrates inprimis et armis et calamis in favorem maris liberi dirimere strenue conati sunt: quamque eos feliciter dirimisse omnes recentiores iuris gentium scriptores concedunt. Deinde praeterire non possumus argumentum de piratis praedonibusve deque praedatoria privata ²⁾.

§ 1. *De Dominio Maris.*

Si usquam, hic ob oculos versabatur a nobis requiri ut exponeremus quid in singulis disciplinae partibus praestiterint viri docti iuris gentium peritia *insignes*, atque igitur istos esse praetereundos qui nihil quidquam hac in re profecerint: inter quos in controversia de dominio maris numerare licet v. c. MARTINUM SCHOOCK „multorum librorum non admodum laudandum parentem” ³⁾, cuius a° 1651 „*Imperium Maritimum*” ⁴⁾ prodiit, quo historice narratur, quae gentes variis

¹⁾ De iure maritimo gentium a iure maritimo publico ac privato distinguendo, cf. VON OMPEDA § 216.

²⁾ *Praedatoriae privatae* vocabulo in seqq. semper intelligimus quod nos dicimus *kaapvaart*: qua in re sequimur BYNKERSHOEKIUM. Vix autem opus erit addere *praedones* dici qui aut terra aut mari res rapiunt: *piratae* qui in mare tantum raptum descendunt. Cetera quae alioquin ad hocce caput pertinerent, ut supra monuimus, in superiore capite iam attigimus.

³⁾ SAXE, *Onom.* IV. p. 409; cf. porro de eo FAQUOT, *Mémoires*, (op. laud.) Tom I. (Ed. in folio) p. 297 seqq.; *Biblioth. Iuris Imper. quadr.* III. 1. § 3; VON OMPEDA, § 218.

⁴⁾ Totum titulum adscribere fortasse non inutile erit: *Imperium Maritimum ita explicatum ut non solum eius ostendatur praerogativa verum etiam cuique genti maxime Belgis foederatis suus vindicetur honor: addito consilio quod si ab his conservetur per Dei gratiam (quae imploranda suadet) antiqua et gentilis existimatio sarta tecta servabitur.* Dissertatio primum prodiit in SCHOOCKII *Opp. Omn. Trai.* 1651, deinde separatim Amst. 1654.

maris partibus imperaverint, quantique Belgarum maritima potentia interfuerit, denique quibus mediis post Deum asseri possit maris imperium; — nec minus (ut aliis parcam) MARCUM SUEBIUM BOXHORN ¹⁾ cuius "*Apologiam pro navigationibus Hollandorum adversus PONTUM HEUTERUM qua praecedentium saeculorum navigationes eorumque iura et instituta ex tabulis praesertim publicis asseruntur*" valde exigui pretii esse unicuique persuasum erit qui istud opusculum vel obiter inspexerit.

Ordine chronologico primum hic in censum venit THEODORUS GRASWINCKEL, qui mari libero vindicando non tantum in opere quod in superioribus adhibuimus de iure supremæ potestatis, sed etiam in aliis opusculis consulto et acriter hoc argumentum tractavit quin immo dignus iudicatus ab ordinibus Generalibus qui mare liberum adversus SELDENI sophismata publice defenderet ²⁾. — Ceteroquin iterum adhibendus est BYNKERSHOEKIUS, non autem in *Quaestionibus Iuris Publici* sed in separato tractatu *de dominio maris* hanc controversiam pertractans: nec minus HUBERUS qui ³⁾ SELDENUM satis copiose refutat. Deinde haud negligenda quæ PLOOS VAN AMSTEL et PESTEL iunior in laudatis dissertationibus, KLUIT in *historia foederum* et OLIVIER in supra iam memorato opere hac de re scripserint. Quibus omnibus pro mari libero pugnantibus unum HEINECCIUM opponendum habemus, in *Exercitatione* saepius laudata mare clausum defendentem. Verbo primum videamus de iis quæ GROTIUS hac in re egit quem omnes postea secuti sunt, sive eum refellendi causa, sive ut eius opinionem propugnarent novaque argumenta ad eam firmandum afferrent.

Quum KLUITIUS dicat Belgarum de mari controversiam inter alias ex quaestione de libera ad oras alienas piscatura ortam esse ⁴⁾, idque confirmare conetur commemorandis pactis quæ

¹⁾ PAQUOT, op. l. Tom. I. p. 105 sqq. BOXHORNI et SCHOOCKII opuscula cum aliis nonnullis de eodem argumento reperiuntur etiam in vol. 4^o *Grotii illustrati*, quem ediderunt HENR. et SAM. DE COCCII, Vratislaviae 1572.

²⁾ Vide supra p. 2.

³⁾ *Digress. Iustin.* P. I. Lib. IV. cap. 13—16; et *de iure civitat.* L. II. s. IV. c. 2. § 25—52.

⁴⁾ KLUIT, *Hist. foed.* § 439.

de libera illa piscatura cum Anglis iam iniere saeculo medio XV° et saepius deinceps ¹⁾), dicendum est eum omnibus nominibus nequaquam falli; sed quum ipse addat ²⁾ »sub libera demum republica Anglos hanc libertatem dubiam fecisse», iam indicat hancce controversiam demum saeculo XVII° ineunte exstitisse, quo tempore GROTIUS suum edidit *Mare Liberum* ³⁾). At gravior hic suberat causa: lites nempe ortae inter Belgas et Hispanos ac Lusitanos de libera ad Indiam navigatione, quam hi sibi soli appropriare conabantur. — Huic assertioni ut iam ex titulo opusculi apparet ⁴⁾ vehementer se opposuit GROTIUS noster. Liberam navigationem huic superstruit certissimae regulae a Deo per ipsam naturam omnibus impressae: licere cuivis genti quamvis aliam adire cumque ea negotiari, quam qui tollunt libertatem, tollere omnem humani generis societatem qua cuiusvis succurritur necessitatibus: quod suo Marte probare conatur multis undique exemplis petitis. Deinde ostendere pergit Lusitanos nullum habere ius domini in eos Indos ad quos Batavi navigant neque titulo inventionis neque donationis neque belli; nullum iis esse ius eo navigandi neque occupationis neque donationis pontificae neque praescriptionis aut consuetudinis; iure gentium igitur inter quosvis liberam esse mercaturam neque itaque Belgis eam denegandam. In magno opere *de iure belli ac pacis* maris occupationem etiam intra arctiores quam in priore opere restringit fines ⁵⁾).

»Hinc illae lacrymae!» GROTIUS se opposuit magnus scriptorum numerus, ex quavis fere parte Europae, quorum quisque patriae suae iura in maria finitima vindicare conaretur: GRO-

¹⁾ Ibidem § 242.

²⁾ Ibidem.

³⁾ Primum prodit anonymo L. B. 1609 deinde saepius cum nomine auctoris. Cf. WHEATON, *Histoire* I. p. 198.

⁴⁾ »*Mare liberum sive de iure quod Batavis competit ad Indiana commercia dissertatio.*» Cf. HUBER, *Digress. Iust.* I. l. 13. § 3. HEINECCIUS non erubuit scribere (diss. laud. I. 1.) GROTIUM scripsisse »lucro navigationum ad Indos, quod tum Hispani ac Lusitani intercipere studebant, ad scribendum pellectum.»

⁵⁾ Lib. II. c. III. § 8, 13; III. I. § 5; NÖEST, op. I. II. 3. Cf. WHEATON, *Hist.* I. p. 198 sqq.

TIUS illis non respondit, at „pietate in GROTIUM ductus” mortuum eum defendit THEODORUS GRASWINCKEL, de cuius hac in re meritis diversissima variorum exstant testimonia; adversarii ei erant certe „neque pauci neque leves.” FELDENIUS ¹⁾ inprimis qui GROTIUS adhuc vivente suum ediderat opusculum, ingenium ostendit acutum et sophisticum iudiciumque subsidiaque non spernenda, atque ita quidem ut mirandum non sit si ex hac controversia inferior discessit GRASWINCKEL: quamquam ex eo quod iteratae FELDENII invectioni nihil responderit, certe efficere non licet eum quod responderet non habuisse ²⁾. PETRUM BAPTISTUM BURGUM Ligustici maris dominium vindicantem etiam refellit: quod BYNKERSHOEKIO prae-buit oportunitatem acerbissime in auctorem nostrum invehendi ³⁾. Quae autem GRASWINCKELII praecipua fuerint argumenta quibus mare liberum defendebat paucis exponemus ex capite XI maioris eius operis. Deum contendit omnibus hominibus mare in commune dedisse: neminem igitur sibi ne partem quidem vindicare posse nisi agere velit contra Dei voluntatem. Unde intelligi facile potest omnes gentes semper statuisse mare commune esse bonum sicuti aër et coelum. Deinde ut dominium alicuius rei constituatur opus esse ut ipsa res accurate circum-scribi possit, quod circa hoc argumentum fieri nequit quum mare sit collectio aquarum quae in uno eodemque loco detineri nequeant: insuper praescriptione quam multi hac in re afferunt numquam maris dominium obtineri posse quum eiusmodi humana institutio derogari nequeat voluntati divinae. — Opus certe

1) IOANNES A FELDEN, *Annotata in Hugonem Grotium de iure B. et P.* Amst. 1653, deinde cum responsionibus ad *stricturas* GRASWINCKELII. Ienae 1663, vide *Bibl. Iuris Imp. quadr.* l. III. § 1 et 2; BARBEYRAC., *Préface à Grotius.* p. X.

2) Ut fecerunt auctor *Bibl. Iuris Imp. quadr.* l. I. § 2 et VON OMPEDA, § 123.

3) *De dominio maris*, cap. VI: »Vindicare negat GRASWINCKEL, sed quid hominem laudo quem multa licet effutiverit in eo genere argumenti quod tractamus adversus SELDENUM, BURGUM, WELWOODUM illaudatum tamen transmittere constitueram, tam ipse ut omnia nescit tam parasitum agit. Quid igitur aiat vel neget perinde est: sat scio vos ipsos illustrissimi Veneti, non negaturos quod animo semper toto fecistis testatum.” (!)

erat ut melius nostrates sua iura defenderent, nec defuerunt qui aptissimi erant ad tale certamen ineundum. Magis enim quam GROTIUS eiusque interpretes fecerant, inquirendum erat in naturam possessionis et occupationis a qua tota haec controversia pendere videbatur. Quum autem GROTIUS plerumque ex historia argumenta sua petiisset, GRASWINCKEL aliique argumenta ex sacra scriptura hausissent, HUBERUS et BYNKERSHOEKIUS magis adhibuerunt iuris philosophiam. Breviter de utriusque argumentatione videamus.

•Occupatio, inquit HUBERUS ¹⁾, nihil est quam corporalis rei apprehensio cum animo sibi habendi. Unde sequitur quae res corporaliter apprehendi et custodia coërceri nequeunt, has per occupationem in ius privatum nunquam redigi. Videtur omnino talis res esse mare nisi quatenus terris quae certorum hominum sint comprehendatur, ex natura et occupationis et ipsius maris quod immensum est liqueat. Dominium igitur maris totius aut praecipuarum partium cum hoc effectu ut ius sit principi vel populo alios prohibere piscari, in eo navigare, aquam haurire, conchas et naufragiorum reliquias colligere, nec est, nec fuit neque esse potest." Hoc igitur est fundamentum quo tota nititur eius disputatio, primum quod in mari cesset ratio qua dominia distingui oportet: deinde quod ob vastitatem et fluiditatem occupari nequeat nec possessionem recipiat ²⁾. Contrariae deinde opinionis rationes inprimis SELDENI exponit partim ex gentium veterum usu, partim ex iure divino, ut ait, partim ex iure Romano depromptas et singulas refellit aequae ac eas quae petuntur ex recentiore historia et philosophia. Qui in singulas inquirere cupit ad ipsum eum relegamus HUBERUM, certe ei apparebit hunc iustiore defendere causam. Hoc tamen animadvertendum HUBERUM concedere populum cuius terris mare quoddam ubique cingitur, imperium in illud mare fortasse recte habere posse, ut Romani in Mediterraneum, Veneti in Adriaticum, Belgae in Australe ³⁾.

¹⁾ *Digress. Iust. P. I. L. IV. 13. § 1.*

²⁾ *Ibid. § 4.*

³⁾ *De iure civit. l. 1. § 51, 52. Cf. KLDIT, Hist. foed. § 440; BYNK., De dom. mar. c. V—VII.*

BYNKERSHOEKIUS mare liberum exinde incipit vindicare quod dominium adscribendum sit iuri civili: etsi gentium occupatione acquiratur, non nisi legibus cuiusque gentis, civilibus igitur, ratum esse potest. — Quod tamen si admittatur, summo iure docuit PLOOS V. AMSTEL ¹⁾ omnia scelera in mari per se fieri posse nec solum res hostiles sed et ipsam navem occupari ²⁾. Priori tamen huic argumento neque ipse obsequitur nam in reliquo opere aliud quid urget, ultra nempe possessionem dominium non durare in rebus occupatis: igiturque dispiciendum quousque a populo vel principe civitatis mare terris vicinum perpetua possessione videatur teneri. In tantum autem mare intelligi possessum in quantum navigatur et quidem perpetuo: possessionem maris proximi eousque videri porrigendam quousque continenti haberi potest subditum, i. e. quousque tormenta exploduntur, quousque e terra mari imperari potest ³⁾. — Deinde Ampl. Praeses (sic BYNKERSHOEKII aequales eum appellare gaudebant) totus est in demonstrando ad possessionem rerum nullius acquirendam opus esse occupatione *perpetua et* quidem cum animo possessionem acquirendi et acquisitam retinendi: igitur in mari exigi navigationem perpetuam non navibus onerariis sed bellicis, eoque numero iisque viribus ut sufficiant ad mare vel maris partem vindicandam. Inde etiam patere Oceanum nunquam dominari posse deque ceteris maribus id rarissime factum iri: attamen olim factum esse in mari Mediterraneo quod Romani per longum tempus quatuor classibus occupabant. Effectus autem domini maris, ut recte ait is est ut a domino aliis navigatione vel pure vel sub conditione possit interdici, imperari ut salutetur et quomodo salutandum

¹⁾ Diss. laud. III. § 11.

²⁾ BYNK., *de dom. maris*. c. 1.

³⁾ Cap. 2. Idem et nunc valere docuit e nostratibus cons. F. P. VAN DER HOOVEN in opusculo »*Bijdrage tot de Geschiedenis van den Sondtol*,» (Leiden 1855), p. 18. Quaestionem de iure vectigalis Oresundici cum controversia de maris dominio arctissime cohaerere, vel potius ex mari libero ultro sequi hoc vectigal iniustum esse, vix opus erit indicare: insuper in laudato opusculo egregie hoc iterum demonstratum est. Cf. DEN TEX in Comm. supra laud. de »*Carlo Alberto*,» p. 556.

sit ¹⁾, vectigalia imponi, cett. In ultimo capite GROTII aliquanto refellit argumenta quaedam, licet ceteroquin vulgo cum eo faciat.

Praecipuo vero BYNKERSHOEKII argumento obversatur HEINECCIUS, quem totam suam argumentationem de mercibus hostilibus recte capiendis licet navi amica oneratis superstruere mari clauso iam supra monuimus. Contendit ad dominium semel quaesitum retinendum sufficere animum neque actum possessionis requiri. Neque tamen id aliquo modo demonstrat; affirmat tantum, atque inde (et recte si fundamentum illud revera firmum est) deducit principi ius esse in eo mari cuius dominus est imperare aliisque leges dare ²⁾ inter quas praecipuum locum obtinet vectigalium impositio ³⁾. Hic autem quaestionem quam et nos quoque iam commemoravimus vectigalis Oresundici attingit et paucis exponit controversias de eo inter Danos et Suecos agitatas. „An in libero mari, inquit, vectigalia iure exigi et imperantium arbitrio libere intendi possint, id vero est quod haud pauci negant.” Nec tamen attingit quaestionem quae hîc unicuique statim sese offert an si mare liberum sit, fretum huic sit aequiparandum, etiamsi (ut supra BYNKERSHOEKIUM monentem vidimus) e terra totum imperari possit: fretum autem quum unica est communicatio inter duo maria propter liberam naturalem unicuique navigandi facultatem liberum etiam manere oportere nostro tempore summo iure contenditur ac in hac ipsa de vectigali Orosundico quaestione in dies urgetur ⁴⁾.

PESTELIUS Iunior in diss. laud. ⁵⁾ omnium antecessorum diligenter ponderat sententias et quamquam cum BYNKERSHOEKIO non facit, ommissa possessione naturaliter amitti dominium, cum mare ex iis rebus esse putet quae varias ob causas (v. c. ob procellas) nunquam *perpetuo* possideri possint, omnino

¹⁾ De eiusmodi in mari salutatione vide exemplum apud BILLERDYK, *Gesch. des Vad.* IX. p. 205.

²⁾ Vide diss. laud. I. 1—4.

³⁾ § 17.

⁴⁾ Cf. v. d. HOEVEN, op. l. p. 20, 21: et quos ibi laudat HEFFTER, *Europ. Völkerrecht*, p. 141, ac WHEATON, *Elem.* I. p. 222 sqq.

⁵⁾ p. 23 sqq.

eum laudat quod omnes doctrina diligentiaque superans maris libertatem strenue propugnet. Atque ob causam modo narratam etiam in eo ulterius quam ille progreditur, quod arbitretur *mare externum* i. e. longius a littore remotum omnium commune manere: cuius igitur eius integram esse navigationem innocuam, nullisque vectigalibus illam onerari posse.

Restat ut quaedam moneamus de opere ampl. OLIVIER ¹⁾. Praemonitis nonnullis de occupatione, de rebus communibus, de dominio, de possessione, plerisque ex iure Romano petitis, ostendit quaestionem de mari libero nonnisi ex iure gentium solvi posse, quum singulae civitates nil statuere possint de re quae omnibus communis est, qua tamen non comprehenduntur maria quae aut partim aut toto singularum terris circumdantur. Deinde egregie GROTII et BYNKERSHOEKII exponit sententias: recenset quid de singulis maribus inter gentes pactis statutum sit, inprimis de commerciis ibi agendis: atque ordine percurrit quae diversis temporibus facta sint ad liberam navigationem impediendam ac maris dominium clam vel palam vindicandum. Non poenitebit eum qui plura de hoc argumento inquirat hocce opus inspexisse: longius tamen abesset a nostra proposito omnia hic fusius pertractare.

Haec igitur sufficiant de controversia quae hodie satis parvi momenti est quum mare liberum nunc ab omnibus fere gentibus agnoscat et ita quidem ut quae restant reliquiae maiorum maris clausi opinionis (v. c. vectigal in freto Oresundico) in eo videantur ut prorsus abrogentur. — Fortasse ab hoc loco non alienum esset pauca quaedam addere de certamine in patria nostra et extra eam de libera ad Indias mercatura et navigatione vehementer agitato post ortam societatem Ostendanam a^o 1722. At hanc quaestionem nimis urgere videtur qui scripsit ²⁾, huius societatis originem historiam et litteraturam amplam praebere materiam ad cognoscendas illorum temporum opiniones de iure gentium et totam fere eius aevi historiam politicam. Videlicet, ut iam observarunt KLUIT aliique,

¹⁾ Cap. I et III.

²⁾ I. BAITZ, *Histoire de la Législation et de la Jurisprudence des Provinces Belges*, Brux. 1847. p. 381.

cardo huius quaestionis non erat naturalis maris oceanive libertas et navigatio sed pacta ac privilegia antea unice concessa societati Indicae Orientali, quod insuper iam inde patet quod Belgae, qui ut videmus semper acriter defenderant mare liberum, in scriptis de hac controversia publici iuris factis propugnatores extiterint monopolii in maris navigatione suae societati etiam ab aliis gentibus concessi¹⁾. Summo igitur iure ut videtur hac quaestione nos possumus supersedere; ceteroquin quae ad hanc controversiam pertinent copiose reperies apud doct. BRITZ in opere supra laudato, qui ipse tamen ex Belgio Meridionali, Flandrorum videtur favere causae²⁾

§ 2. *De piratis praedonibusve deque praedatoria privata.*

Duo haec argumenta quae in ultima hacce § nobis tractanda restant, ita inter se cohaerent ut qui de uno agat, alterum non attingere non possit. Quinam dicendi sint piratae praedonesve, quid iuris de bonis navibusque ab iis in mari captis, quibus contra ex iusto titulo idem fere facere liceat quod si a privatis fiat summum habeatur crimen ac dedecus, quid dicendum sit de praedatoria illa privata, deque vi hodie ei tribuenda, Belgarum profecto qui tot commercia per totum fere orbem terrarum agere solent omnium maxime scire interest: atque eo magis quum in magnis illis bellis, iam in ipso illo quod per 80 annos cum Hispania gesserint, ipsi saepissime praedatoriam privatam egerint³⁾. Neque desunt viri docti in Belgio nostro qui quid in omnibus illis iuris sit ex ratione et gentium usu accurate exposuerint. Duorum inprimis hac in re merita nunc a nobis indicanda sunt: BYNKERSHOEKII qui hoc quoque argumentum non praeteriit in lib. I *Quaestionum Iuris Publici*⁴⁾ et cons. BERG VAN MIDDELBURG in commentatione a Societate Provinciali Rheno-Traiectina praemio ornata, de

¹⁾ Vide KLUIT, *Hist. foed.* § 414 et 415, ibique notas.

²⁾ Apud eundem adscripta sunt quae huc pertinent opuscula. Cf. et KLUIT l. l.; VON KAMPTZ op. I. § 259; *Bibl. Iur. Imp. quadr.* III. 1. § 9.

³⁾ BYNKERSH., *Q. I. P. I.* 18.

⁴⁾ Cap. XVII—XX.

praedatoriae privatae abolitione ¹⁾. Quae autem de eadem materia in KLUITII aliorumque iam in superioribus laudatis scriptis inveniuntur suis locis indicabimus. Cum hisce autem a nostratibus conscriptis imprimis contulimus quas in hoc argumento apud externos classicas dici licet commentationes: MARTENSII ²⁾ nempe inter cuius et BERGII nostri opuscula magna videtur intercedere necessitudo, et doct. VON KALTENBORN, qui et historiam et praxin recentiore praedatoriae privatae diligenter tractavit in diario quodam Germanico ³⁾. Hunc tamen BERGII commentationem adhibuisse non apparet; praeterea ad longe alium perveniunt finem, ut cum hic demonstrare conetur praedatoriam privatam quam maxime esse abrogandam, ille ei promittat imprimis quod ad Germaniam attinet maiorem etiam quam adhuc florem et prosperitatem.

„Interest scire qui piratae ac latrones sint nam ab his capta dominum non mutant neque adeo postliminio egent; sic docet ratio, sic auctoritas iuris, sic pacta gentium.” Verba haec sunt BYNKERSHOEKII ⁴⁾, addentis: „qui nullius Principis auctoritate sive mari sive terra rapiunt piratarum vocabulo intelliguntur. Ex plurium insuper gentium pactis edictisque etiam pro piratis habentur qui externi Principis, aut plurium Principum qui diversos habent hostes, mandato ad praedandum exeunt ⁵⁾ aut qui duplicibus utuntur litteris maritimis ut tutius contrabanda vebant.” At BYNKERSHOEKIUS eos qui in Africa *Barbari* dicuntur negat piratarum numero esse adscribendos; Algerienses, Tripolitanos, Tunitanos *civitates* esse quibuscum nunc pax est, nunc bellum, et quibuscum saepissime variae gentes foedera iniere, quod, ut supra vidimus, fieri nequit nisi cum iis qui iura maiestatis

¹⁾ *Over de afschaffing der Kaapvaart. Utr. 1828.*

²⁾ G. F. DE MARTENS, *Versuch über Caperei, feindliche Nehmungen und insonderheit Wiedernehmungen.* Gott. 1795. Usus sum hac ed. Germanica, licet idem etiam exstat opusculum Gallica lingua conscriptum.

³⁾ VON KALTENBORN, *Geschichte der Kaperei in Seekriegen* in BÜLAU'S *Jahrbüchern für Geschichte und Politik*, 1849. XII p. 97 sqq. et *Praxis und Reform der Kaperei in Seekriegen besonders vom Deutschen Standpunkte*, ibid. p. 193 sqq.

⁴⁾ CXVII. — Cf. OLIVIER, op. laud. p. 86 sqq.

⁵⁾ Sicuti edixerunt Ordd. Gen. Belg. Foed. 29 Ian. 1658.

habeant. Verum si ex factis tantum esset iudicandum facile piratae dici possent ¹⁾. De foro piratarum docet non esse dubitandum quin exterus qui summa iniuria nostros sit deprædatus si deprehendatur apud nos accusari possit et poenas dare, poenam autem piratarum vulgo esse summum supplicium bonorumque publicationem ²⁾. Prorsus in his cum BYNKERSHOEKIO facit PESTEL Junior ³⁾ exemplumque quod adscribit controversiæ de piratarum foro in conventu Bredano de pace inter Anglos et Ordd. Gen. a^o 1667 etiam ex eodem depromptum est; tunc enim convenerunt piratas iure gentium poenas dare posse a quibus prehensi essent. — Multo maioris momenti est prædatoria privata, quæ (ut BYNKERSHOEKII verbis utamur) „quam maxime ad ius publicum pertinet quia eam exercere non licet sine publica auctoritate, quodque controversiæ inde natae sæpe turbent rempublicam et Principes invicem committant ⁴⁾.” Si paucis verbis huius argumenti expositionem requiras, KLUITIUM audias ⁵⁾. Hostes, inquit, bello exorto naves armant, quæ suis noceant hostibus ac simul caveant ne gentes neutrae mercibus vetitis aliisque modis iniustus hostes adiuvent. Pendent hi prædatores (*commissie-vaarders, kapers*) ex sancti imperantis arbitrio, instruuntur litteris prædatoriis (*Lettres de Marque*), promulgantur edicta de repellendis hostium prædatoribus, præscribuntur leges de re prædatoria bene ordinanda, decernuntur præmia pro captis navibus cum bellicis cum aliis, statuuntur regulæ de vendenda præda hosti ademta, prohibentur ac severe puniuntur qui sub alieno vexillo prædatum exeunt.” Primum igitur quod requiritur ut navis prædatoria non pirata dicatur est quod Princeps navarcho dederit litteras quæ dicuntur *lettres de marque* ⁶⁾, quibusque adiungi solet cautio non hostibus damnum datum non iri, quæ iureiurando firmatur. Diu autem est ex quo hisce privatorum opibus principes adversus hostes

¹⁾ Cf. BERG, *Kaapvaart*. p. 18, 19.

²⁾ Cf. HEINECC., *de navibus ob. merc. vetit. vect. commissis*. II. § 14.

³⁾ Diss. I. p. 55—57.

⁴⁾ Cap. XVIII.

⁵⁾ *Hist. foed.* § 454.

⁶⁾ BERG, op. l. p. 20; BYNKERSH., I. 18; OLIVIER, op. l. p. 88.

utuntur; gravissime vero dubitatur de huius instituti utilitate et iustitia et quum „stultissimum est existimare omnia iusta esse quae scita sint in populorum institutis ac legibus” videamus quid hac de re egerit cons. BERG.

A thesi proficiscitur congruum esse iuri naturali ut mala quae ex bello oriuntur quantum fieri possit tollantur, idque ita iam a plerisque gentibus esse acceptum docet ut contemptu persequantur eas quae in bello terrestri militibus permittant ut cives tranquillos vexent eorumque bona rapiant: mirandum igitur esse quod eodem tempore idem fere quod in terris pro nefario et iniusto habeatur in mari licitum esse videatur. Totus itaque auctor in eo est ut doceat praedatoriam privatam quantoque esse abrogandam propter detrimentum quod inde capiunt et ipsi belligerantes et inprimis gentes mediae; deinde demonstrat eam abrogari posse et ut videtur paullatim abrogatum iri; denique indicat quo modo videatur abroganda. Primum agit de hoc instituto universe, qua in re egregie, ut ipse etiam fateatur, cum MARTENSIO nec minus cum BYNKERSHOEKIO convenit, ita ut quae modo ex hoc adduximus hic non repetenda videantur. Ante saec. XV initium invaluisse sententiam narrat tempore belli omnibus etiam privatis ius competere contra hostes praedatum eundi, sicut etiam ex ipsis verbis *Consulatus Maris* praeda statim fiebat capientium dominium. Nunc vero praedatores non possunt pleno iure praedam sibi vindicare nisi haec iis addicatur a iudice legitimo ¹⁾, i. e. (ut ex moribus gentium Europaeae invaluit) a tribunalibus quae vocantur *admiralitates* ²⁾ — Deinde auctor ex historia multarum gentium exponit quanto damno praedatoria privata mercaturam affecerit et quanti intersit et ipsorum belligerantium et aliarum civitatum eam etiam belli tempore liberam manere; quod fieri nequit dummodo praedatores navigantes vexent atque ita quidem saepissime ut fere piratis sint aequiparandi. Gravius tamen etiam affert ad praedatoriam abrogandam argumentum quod nempe ea damno inprimis afficitur neutrarum gentium navigatio. Quum

¹⁾ BERG, p. 20—22; HEINECC. laud. II. § 14 seqq.; BYNKERSH. l. l.

²⁾ PLOOS v. AMSTEL, diss. laud. C. VII. Vid. complura exempla apud BYNK. passim.

enim litterae quae praedatoribus pacis tempore dentur ex represaliarum iure nomina continent eorum adversus quos conceduntur, sic olim dabantur in bello contra hostes tantum: postea hoc ita mutatum est ut belli tempore etiam iis liceret visitare mediarum gentium naves et inquirere an his res hostiles veherentur: nonnunquam etiam eas capere sibi adjudicandas curare ¹⁾. — Praeterquam autem quod hoc ipsum repugnet regulae *libera navi, libera merc* (cuius aequitatem et summam iustitiam superiore capite iam ex alia auctoris nostri commentatione indicavimus, quamque argumentationem in huius commentationis exitu iterum repetit) ea libertas inquirendi in mediarum gentium naves praedatoribus concessa nonnunquam interitus fere earum commercii causa fuit, quod auctor multis exemplis ex patriae historia probare conatur. Ex literis autem istis praedatoriis licet navem visitare in pleno mari et in dominio maritimo Principis qui literas dedit: non in mediarum civitatum territorio aut in fluminibus hostium. — In capite secundo auctor inquit in argumenta quae ad defensionem huius instituti afferri solent, singulaque falsa esse ostendit saltem multo minoris ponderis quam quae pro eius abrogatione pugnant, quod imprimis ostendit in exemplo Angliae cuius prae ceteris interesse vulgo dicitur ut praedatoria privata servetur. — Denique demonstrat quomodo hoc antiquandum sit, quod optime fieri posse docet si omnes gentes maritimae hac de re perpetuum incant foedus. Laetamur autem nunc dici posse, praedatoriam illam nostro tempore facto esse abrogatam, certe ab illis gentibus quae nunc belligerantes sunt ²⁾.

¹⁾ Numquam tamen praedatoribus licet navis neutralis capturam facere: multa quidem exstant exempla eos qui tale quid fecerant graves poenas dedisse. Vid. OLIVIER, op. l. p. 90.

²⁾ Vide *Annuaire des 2 mondes* 1854—55, p. 343. Disertius etiam postquam superiora iam conscripta erant praedatoriam abrogaverunt pleraeque (forte et omnes) Europae civitates art. 1 Declarationis annexae Tractatui Parisiensi, die 30 mensis Martii 1856 (vid. supra p. ?) «la course est et demeure abolie.»

Ecce igitur, Viri Clarissimi! responsionem meam ad quaestionem de iuris gentium disciplina propositam. Quae plura hic addam vix habeo: satis quidem conscius sum multa in ea desiderari; at erigit me peractam viam respicientem cogitatio vos de iuvenili labore non nimis severam laturos esse sententiam. Plurima mihi erant legenda, ad usum meum accommodanda: in nonnulla incidi tractatu minus iucunda, in plura tamen quibuscum me consuetudinem quandam contraxisse, est quod magnopere gaudeam. Numquam igitur, etiamsi devictus ex hocce certamine discederem (quod utinam secus accidat!) me huius suscepti operis poenitebit, sed qualiscunque eius sit exitus „et hoc olim meminisse iuvabit.”

Si quis autem quaerat quid hac commentatione contineatur, nescio quo melius et brevius hoc enunciem quam verbis quae symboli loco hîc subscribo:

„Es wird erzählt welche Bearbeiter des Faches aufgetreten sind, und wie sich deren Werke zu einander und zum Stoffe verhalten.”

(R. VON MOHL.)



LAW WORKS

PUBLISHED BY

STEVENS AND HAYNES,

Law Publishers,

BELL YARD, TEMPLE BAR,

LONDON, W.C.

THE LAW OF COPYRIGHT.

In one volume, 8vo., price 18s., cloth lettered,

THE LAW OF COPYRIGHT,

In Works of Literature and Art: including that of the Drama, Music, Engraving, Sculpture, Painting, Photography, and Ornamental and Useful Designs; together with International and Foreign Copyright, with the Statutes relating thereto, and References, to the English and American Decisions. By WALTER ARTHUR COPINGER, of the Middle Temple, Barrister-at-Law.

“Copyright was first established in England in respect of literary works; and, by analogy, has since been gradually extended to the numerous subjects mentioned in the title-page to Mr. Copinger’s book,—a book that is certainly the most complete treatise upon the complex subject of copyright which has ever been published in England. The reader must not be misled by the author’s very modest preface. The merits of the work far exceed those of a mere ‘Digest of the Copyright Laws.’ This any one acquainted with the subject may readily perceive by perusing the first chapter, an ‘Historical View of the Copyright Laws,’ which evidences an unusual amount of industry and learning upon the subject.

“The clear, accurate, and judicious arrangement of the work (with rare exceptions) is such as to make it of great service not only to lawyers but also to authors and other proprietors of copyrights in ascertaining the extent of their rights, and the best means of protecting them. The chapters upon Registration of Copyright, the assignment of such rights, and arrangements between authors and publishers, are especially calculated to be very useful. Loss, injustice, and litigation are continually occurring from authors and proprietors of copyright works not taking the precautions which are essential for the protection of their property, or their interest therein.

“As our laws upon that subject at present stand, Mr. Copinger’s work is a judicious, clear, and comprehensive arrangement and exposition of the different subjects included in the title-page of his book.”—*Athenaeum*.

“Mr. Copinger in a single volume, which includes a reprint of the Copyright Acts, gives us such an exposition of the law as will be useful to the lawyer, and also enable both authors and publishers to understand their respective rights and avoid mistakes. . . . We make no question that Mr. Copinger’s well-devised, well-written, and useful treatise will become a standard work.”—*Law Journal*.

“The author appears to have paid great attention, and to have acquired a broad grasp of the subject, not only as a lawyer, but as a literary man. . . . The book is a thoroughly good one; there is scarcely a decision of any importance left unnoticed, and the law in its bearings is fairly and judiciously treated.”—*The Bookseller*.

“In conclusion we refer our readers to this capital book on Copyright. The reader will find in it citations on the latest cases bearing on the subject, chapters on International Copyright, and the best and newest opinions on the subject so very important to authors and to publishers.”—*The Publishers’ Circular*.

PROBATE, LEGACY, AND SUCCESSION DUTIES.

Second Edition, in one thick volume, crown 8vo., price 20s., cloth,

THE PROBATE, LEGACY, AND SUCCESSION DUTY ACTS,

Comprising 36 Geo. III. cap. 52; 45 Geo. III. cap. 28; 55 Geo. III. cap. 184; and 16 & 17 Vict. cap. 51; with an Introduction, copious Notes and References to all the decided Cases in England, Scotland and Ireland, to Michaelmas Term 1870; together with an Appendix of Statutes, Forms, Tables of Duties, and a full Index. By ALFRED HANSON, Esq., Comptroller of Legacy and Succession Duties.

After an Introduction, which extends to 48 pages,

"The author proceeds in the main part or body of his work to set forth the several and successive Acts to which the title of his work applies, and he sets forth the said Acts in the order of their enactment; and with all the fulness of the original enactment; and as he proceeds so setting forth the said Acts, he also illustrates each of them section by section in regular course, and he likewise adds the tables annexed to the Acts, and gives rules for facilitating the calculation of the duties payable under the said several Acts. And in the appendix he sets forth in full the more important sections of certain other Acts made *in paribus materiis*, which have been either partially repealed, or which were originally only partially applicable, or which have peculiar or exclusive reference to Scotland. Finally, the index, extending to thirty-seven pages, is both full in its details and perspicuous in its arrangement, and is also, so far as we have been

able to verify it, accurate in the references which it makes to the volume before it. . . . It will be seen from the review of it now given that this new work of Mr. Hanson's is, both from the position of its author, and from the principle of its construction, and from the accuracy of its execution, a work fitted in all respects to become a standard authority in respect of all the several kindred matters of which it treats; and for this reason we confidently anticipate for it an even greater popularity than the previous edition enjoyed."—*Law Times*.

"It is the only complete book upon a subject of great importance, but which does not come within the regular course of professional study, and therefore requires to be read up when a case having reference to it comes into the solicitor's office.

"Mr. Hanson is peculiarly qualified to be the adviser at such a time. Hence, a volume without a rival."—*Law Times*.

LAW RELATING TO SALVAGE.

In a handy volume, crown 8vo., price 10s. 6d., cloth,

THE LAW OF SALVAGE,

As administered in the High Court of Admiralty and the County Courts; with the Principal Authorities, English and American, brought down to the present time; and an Appendix, containing Statutes, Forms, Table of Fees, etc. By EDWYN JONES, Esq., of Gray's Inn, Barrister-at-Law.

"This book will be of infinite service to lawyers practising in the maritime law courts and to those engaged in shipping. It is rendered more valuable, because heretofore books treating on the law of salvage have been by no means numerous, and what few have been published contain comparatively little information, and that of an unsatisfactory nature; besides which, they are rapidly becoming obsolete, as the law has been considerably altered, and jurisdiction to try salvage cases given to inferior courts. Mr. Jones's book, however, takes cognisance of all the changes which have taken place, and very clearly and succinctly states what the law is at present in all its various ramifications, and he defines what constitutes legal grounds upon which a claim for salvage can be made, and under what circumstances salvors are justified in claiming. This is more difficult than might be imagined, for the law courts sometimes draw very fine distinctions. It is not too much to say, however, that Mr. Jones's explanations are all-sufficient, and that those who have a doubt about the justness and legality of their causes would do well to consult his book before taking action. He illustrates his statements by innumerable references to cases which have been decided. He conveys much valuable information as to the jurisdiction of the various law courts, and directs to which different classes of cases should be carried. In short, Mr. Jones's book is a complete guide, and is full of

information upon all phases of the subject, tersely and clearly written. It will be quite as useful to, as it is as much needed by, the American lawyer as the English, because the salvage laws of America and England are much alike, and Mr. Jones makes constant reference to American authorities. The book is all the more welcome because the subject upon which it treats is but little understood except by a favoured few. Now, however, if interested people remain ignorant it is their own fault. Mr. Jones has treated a very complicated and difficult subject in a simple and concise manner, and his success is commensurate with his simplicity of style."—*Liverpool Journal of Commerce*.

"An admirable treatise on an important branch of jurisprudence is compiled by Mr. Edwyn Jones, of Gray's Inn, Barrister-at-Law, who, in a compact volume, gives us a very comprehensive statement of 'The Law of Salvage,' as administered in the High Court of Admiralty and the County Courts; with the principal authorities, English and American, brought down to the present time, and an Appendix containing statutes, forms, tables of fees, &c. Mr. Jones has consulted a wide range of cases, and systematised with much skill and clearness the leading principles deducible from numerous judgments and precedents, both here and in the United States. His work is likely to become a text-book on the law in question."—*Daily News*.

In one thick volume, 8vo., price 32s., cloth,

THE LAW OF RAILWAY COMPANIES,

Comprising the Companies Clauses, the Lands Clauses, the Railways Clauses Consolidation Acts, the Railway Companies Act, 1867, and the Regulation of Railways Act, 1868; with Notes of Cases on all the Sections, brought down to the end of the year 1868; together with an Appendix giving all the other material Acts relating to Railways, and the Standing Orders of the Houses of Lords and Commons; and a copious Index. By HENRY GODEFROI, of Lincoln's Inn, and JOHN SHORTT, of the Middle Temple, Barristers-at-Law.

REVIEWS.

"At the top of each left-hand page are given the Act and Section set out or commented upon below, while at the top of each right-hand page the subject of the section or notes is given. There are also marginal notes to the notes as well as to the Statutes. . . . Altogether it is, considering the complication of the subject, one of the easiest books to find one's way about which we have ever come across. When we add to this, that the case references are usually given to several series of Reports, that the type and paper are good, and the index an unusually full one, we have already said much in favour of the work. . . . We may instance a few branches of Railway Law upon which there have been recent decisions, which appear well and concisely given in the notes:—*Sci. Ja.* against Shareholders—Taxation of Costs on Compensation inquiries—What Compensation is recoverable.—Mines and the Right to Support—Rating of Railways, and Liability of Railway Companies as Carriers of Passengers, Passengers' Luggage, and Goods. The last subject is contained in a note on the 89th section of the Railway Clauses Act, which collects many cases illustrating the Law as to negligence generally, as well as the negligence of Railway Companies. . . . We shall be glad to welcome a second edition; on the whole, we have formed the opinion that this will be found a most useful book to the practitioner."—*Solicitors' Journal.*

"We can fairly say, that we never met a work carried out with more thoroughly conscientious care. For example, under the 89th section of the Railway Clauses Consolidation Act, 1845, we have a complete treatise relating to the liability of Companies as carriers of passengers. . . . This is followed by a comprehensive dissertation on the liability of Companies in respect of passengers' luggage, and the very important question of the

liability of Companies as carriers of goods. . . . Looking at the book in its entirety, and looking at the extraordinary fulness of a well-arranged index, we can have no hesitation in giving to the authors the highest commendation in our power. The work was one which was very much wanted, and the want has been supplied in a manner which must give the book a most extensive sale. The typography and binding are both admirable."—*Law Times.*

"The title of this book is the best possible explanation of its contents. Here we have all the statutes affecting Railway Companies, with the standing orders of Parliament, in a volume exquisitely printed, and of most convenient size and form. We have also, what in effect to the practitioner is a complete manual of reference of all the decided cases on Railway Law, together with an index of so copious and accurate a nature, as to render the discovery of every section and every authority easy in the highest degree. . . . We find pages of authorities on 'transfer of shares,' 'calls,' 'forfeiture of shares,' *sci. ja.*, 'Lloyd's bonds,' 'contracts by companies,' and 'dividends.' Then comes a mass of matter relating to the voluntary and compulsory acquisition of lands by Railway Companies, while the 'compensation' cases stretch over some fifty pages. So also under the third statute, there are a dozen pages on the powers and duties of Railway Companies in the construction of their works, while the liability of the Companies as carriers of passengers and goods is also elucidated in the most elaborate style. The 'Rating of Railways' adds several pages of authorities. . . . We believe that we have said enough to show that this book will prove to be of pre-eminent value to practitioners, both before Parliamentary committees and in the Courts of Law and Equity."—*Law Journal.*

LLOYD ON COMPENSATION FOR LANDS, HOUSES, &c.

Second Edition (1870) in 8vo., price 16s., cloth,

THE LAW OF COMPENSATION

Under the Lands Clauses, Railways Clauses Consolidation and Metropolitan Acts, &c., with a full Collection of Forms and Precedents. Second Edition (much enlarged).
By EYRE LLOYD, of the Inner Temple, Barrister-at-Law.

"Few branches of the law lying within so small a compass affect so many and such important interests as that which gives compensation for lands compulsorily taken for the purpose of public improvement, or private enterprise for a public benefit, and for injuries done to other private properties by the construction of the necessary works. The cases decided upon the questions that arise for solution in the application of this law are very numerous, and many of them very difficult; and a collection of them well arranged, with the principles they determine clearly stated, appended to the

statute, could not fail to be cordially welcomed by all concerned in properties they affected, whether lawyers or land valuers. It is not therefore surprising that Mr. Lloyd's admirable treatise, exhaustive as it is, should have passed so rapidly into a second edition. But short as is the time since it made its first appearance, it has sufficed to produce quite a crop of new decisions, all of which have been carefully noted up. The volume contains also a valuable collection of practical precedents."—*Law Times.*

MERCANTILE LAW.

In one volume, demy 8vo., price 10s. 6d., cloth,

**PRINCIPLES OF THE LAW OF STOPPAGE IN TRANSITU,
RETENTION, AND DELIVERY.**

By JOHN HOUSTON,

OF THE MIDDLE TEMPLE, ESQ., BARRISTER-AT-LAW.

"We feel that we are giving Mr. Houston no small praise as a writer on law, when we say that he has come fully up to our idea of a clear narrator and methodical commentator; and that it is impossible to read his book and not discover that clear sequence from topic to topic, and paragraph to paragraph, which is invariably the result of a well-digested analysis of his subject. He lays down proposition after proposition with a natural succession, connecting them by the similarity of principle or resemblance in the facts, but pointing out, as he goes along, wherever a principle is varied or not applied, according to the changing aspect of each case. In almost every paragraph or fresh principle or proposition, he adopts the safe and useful course of giving the case which is the authority, and extracting the very pith and marrow of the judgment—the reasons why a principle previously laid down, and fully recognised, governed, or did not govern, the case under discussion.

"One of the most important functions of a law writer is to give good and faithful definitions. Mr. Houston seems very accurate, full, and clear in his definitions.

"On the whole, therefore, we have no hesitation in saying, that we think Mr. Houston's book will be a very useful accession to the library of either the merchant or the lawyer."—*Solicitors' Journal*.

"The object of the author of this book is to afford assistance both to the lawyer and the merchant; and as the work is carefully executed and very clearly expressed, we think it will be found to supply to the lawyer that accurate information which he requires, and also to enable the merchant to gain that more general knowledge of the subject which will be found useful in an emergency."—*Athenæum*.

"It is intended for the edification and use of both lawyers and merchants, and it is so carefully executed, and the points of law are so clearly and amply expressed, and yet so simply withal, that it seems fully able to supply to the lawyer that accurate information of the fact and critical treatment of the principle which he looks for in a really useful text-book, and at the same time to enable a merchant to gain sufficient acquaintance with the law upon the subject, to render himself fully competent to deal with the ordinary emergencies of trade.

"We have, indeed, met with few works which so successfully surmount the difficulties in the way of this arduous undertaking as the one before us; for the language is well chosen, it is exhaustive of the law, and is systematised with great method."—*American Law Review*.

**LATHOM BROWNE ON LIMITED LIABILITY AND
WINDING-UP OF COMPANIES.**

In 8vo., price 21s., cloth,

A TREATISE ON THE COMPANIES ACT, 1862;

With Special Reference to Winding-up, for the purposes of Reconstruction or Amalgamation; with Orders, Forms, and Precedents. Together with a Supplement, containing the Companies Act, 1867, with Notes, and a Digest of Additional Cases. By G. LATHOM BROWNE, of the Middle Temple, Barrister-at-Law.

"Perspicuous statement and felicity of arrangement characterise the work throughout. . . . From his experience as a liquidator and a director, our author has been able to offer a work of a very practical nature, and at the same time of value to the profession."—*Law Magazine*.

"This work is exceedingly well done; and is just such a one as solicitors, directors, officers, shareholders, and creditors of joint-stock companies ought to possess for the guidance and government of their conduct in regard to their interests, duties, or obligations in the company with which they may be connected."—*Money Market Review*.

In 8vo., cloth limp, price 2s. 6d.,

A MANUAL OF THE COMPANIES ACT, 1867;

With Forms of Proceedings and a Digest of Decisions on the Companies Act, 1862, during the year 1867. By G. LATHOM BROWNE, of the Middle Temple, Barrister-at-Law.

In one volume, royal 8vo., price 30s., cloth lettered,

CASES AND OPINIONS ON CONSTITUTIONAL LAW, AND VARIOUS POINTS OF ENGLISH JURISPRUDENCE.

Collected and Digested from Official Documents and other Sources; with Notes. By WILLIAM FORSYTH, M.A., Q.C., Standing Counsel to the Secretary of State in Council of India, Author of 'Hortensius,' 'History of Trial by Jury,' 'Life of Cicero,' &c., late Fellow of Trinity College, Cambridge.

"We cannot but regard with interest a book which, within moderate compass, presents us with the opinions or *responsa* of such lawyers and statesmen as Somers, Holt, Hardwicke, Mansfield, and, to come down to our own day, Lyndhurst, Abinger, Denman, Cranworth, Campbell, St. Leonards, Westbury, Chelmsford, Cockburn, Cairns, and the present Lord Chancellor Hatherly. At the end of each chapter of the 'Cases and Opinions,' Mr. Forsyth has added notes of his own, containing a most excellent summary of all the law bearing on that branch of his subject to which the 'Opinions' refer. . . . Our space precludes us from dwelling upon the contents of this work at any greater length, but we think we have said enough to show that it is worthy of a place on the book-shelves of our statesmen, and all who take an interest in constitutional, or rather, national and colonial questions."—*The Contemporary Review*.

"Mr. Forsyth has largely and beneficially added to our legal stores. His work may be regarded as in some sense a continuation of 'Chalmers's Opinions of Eminent Lawyers.' . . . The constitutional relations between England and her colonies are becoming every day of more importance. The work of Mr. Forsyth will do more to make these relations perfectly clear than any which has yet appeared. Henceforth it will be the standard work of reference in a variety of questions which are constantly presenting themselves for solution both here and in our colonies. . . . Questions of colonial law by no means occupy an exclusive share of the volume. . . . Among other questions on which 'opinions' are given, and of which careful summaries and generalisations have been added by Mr. Forsyth, are those relating to vice-admiralty jurisdiction and piracy; the prerogatives of the Crown in relation to treasure trove, land in the colonies, mines, cession of territory, &c.; the power of courts-martial, extra-territorial jurisdiction, allegiance, the *lex loci* and the *lex fori*, extradition, and appeals from the colonies. The volume bears marks of extreme care and regard to accuracy, and is in every respect a valuable contribution to constitutional law."—*Law Magazine and Law Review*.

"Mr. Forsyth at the present juncture has done good service not only to his profession, but to all men who take any interest in public affairs, and we therefore hope that those for whom the book is especially intended will not be backward in giving to it that support which the industry and ability of its author, and the public spirit and enterprise of its publishers, so well deserve."—*Canada Law Journal*.

"This one volume of 560 pages or thereabouts is a perfect storehouse of law not readily to be found elsewhere, and the more useful because it is not abstract law, but the application of principles to particular cases. Mr. Forsyth's plan is that of classification. He collects in separate chapters a variety of opinions bearing upon separate branches of the law. Thus, the first chapter is devoted to cases on the common law, and the law applicable to the colonies; the second to the ecclesiastical law relating to the colonies; the third to the powers and duties, civil and criminal liabilities, of governors of colonies; the next to vice-admiralty jurisdiction and piracy; the fifth to certain prerogatives of the Crown: such as lands in the colonies, grants, escheats, mines, treasure trove, royal fish, felon's goods, writ *ne exeat regno*, proclamation, cession of territory, and creation of courts of justice; the sixth chapter contains opinions on martial law and courts-martial; the seventh on extra-territorial jurisdiction; the eighth on the *lex loci* and *lex fori*; the ninth on allegiance and aliens; and then successively on extradition; on appeals from the colonies; on the revocation of charters; on the Channel Islands; on the nationality of a ship, and other matters relating to ships; on the power of the Crown to grant exclusive rights of trade; on writs of habeas corpus; on certain points relating to the criminal law; and lastly, on miscellaneous subjects, such as the declaration of war before hostilities; on the right of war, booty and prize, and on the grant of a marriage licence. . . . This is a book to be read, and therefore we recommend it not to all lawyers only, but to every law student. The editor's own notes are not the least valuable portion of the volume."—*Law Times*.

CLARKE ON EXTRADITION.

In 12mo. (1867), price 7s. 6d., cloth,

A TREATISE UPON THE LAW OF EXTRADITION.

With the Conventions upon the subject existing between England and Foreign Nations, and the Cases decided thereon. By EDWARD CLARKE, Esq., of Lincoln's Inn, Barrister-at-Law and Tancred Student.

"Mr. Clarke has treated the whole question in an able and masterly manner. His style is clear and terse, without the slightest tincture of that technicality and pedantry which so often repel and disgust even the learned reader. . . . We

congratulate Mr. Clarke upon having produced an excellent and useful book on an important and difficult subject, and we heartily commend it to the perusal of our readers."—*Solicitors' Journal*.

THE NEW LAW OF BANKRUPTCY.

In a neat Pocket Volume, price 10s.,

THE BANKRUPTCY ACT, 1869;
THE DEBTORS ACT, 1869;

THE INSOLVENT DEBTORS AND BANKRUPTCY REPEAL ACT, 1869:

Together with the General Rules and Orders in Bankruptcy and at Common Law. With Notes, References, and a very Copious Index. By HENRY PHILIP ROCHE, Esq., of Lincoln's Inn, and WILLIAM HAZLITT, Esq., of the Middle Temple, Barristers-at-Law, and Registrars of the Court of Bankruptcy.

REVIEWS.

"Messrs. Stevens and Haynes publish 'The Bankruptcy Act, 1869,' 'The Debtors Act, 1869,' and 'The Insolvent Debtors and Bankruptcy Repeal Act, 1869,' the work of Henry Philip Roche and W. Hazlitt, Esqs., Barristers-at-Law. As might be expected from gentlemen who are Registrars of the Court of Bankruptcy, the volume is very complete and plain. It is stated in the preface to have been prepared more especially for the use of the profession, creditors, trustees, and others who may be employed in the administration of the new system, by whom it will doubtless be found of the highest utility."—*Daily News*.

"The names on the title-page, of Henry Philip Roche and William Hazlitt, Registrars of the Court of Bankruptcy, make it almost superfluous in us to recommend their book on 'The New Law of Bankruptcy.' It contains the three Acts of 1869—Bankruptcy, Debtors and Insolvent Debtors, and Bankruptcy Repeal; with the general rules and orders in bankruptcy at common law and in the county courts. The value of the handbook is enhanced by notes and a copious index; and it would be difficult to desire a more convenient and compendious presentment of all that can be needed to guide those who may, in any capacity, have to administer the new law."—*Daily Telegraph*.

"To those who wish to have a copy of the new Acts, and of the Rules and Forms, under one cover and in a convenient form, together with an index,

Fifty pages of Roche and Hazlitt's book are devoted to a most elaborate and exhaustive Index to the New Acts and Orders.

A TREATISE ON THE VALIDITY OF VERBAL AGREEMENTS,

As affected by the Legislative Enactments in England and the United States, commonly called the Statute of Frauds; including also the effect of Partial and Complete Performance and the sufficiency of the Writing in Cases where Verbal Agreements are not valid; together with other kindred matters; to which are prefixed transcripts of the various Statutes on the subject now in force in both Countries.

By MONTGOMERY H. THROOP. (In 2 Vols.) Vol. I., royal 8vo. 1870. 35s. cloth.

we can recommend this book. . . . The index is very good."—*Solicitors' Journal*.

"This book is a reprint in a commodious form and excellent type of the several Acts, Rules, Orders, and Forms above enumerated. The Bankruptcy Act is accompanied by some notes, chiefly in comparison of the old law and the decisions under it. The index seems to deserve the appellation of 'very copious.'"—*Law Journal*.

"The *Law Journal* in a recent comment remarks: "In the present state of bankruptcy law, a copious index to the new provisions is much more useful than any attempt at a statement of the effect of those provisions."

"The passing of the new Bankruptcy Act has naturally occasioned the issue of many works explanatory of its provisions and objects, but amongst such few will be more likely to command the attention of all classes than this work from the pen of two registrars of the Court of Bankruptcy. Having given in full the Bankruptcy Act, 1869, the Bankruptcy Repeal and Insolvent Court Act, 1869, and the Debtors Act, 1869, the compilers proceed to give particulars of the various forms used in bankruptcy cases, with information as to attorney's costs, scale of fees, &c. The rules, orders, and forms of the County Courts follow; and an index of singular completeness, extending over more than fifty pages, renders the work of reference to any part of the book most easy."—*City Press*.

ELECTION LAW.

Third Edition, in 12mo., price 7s. 6d.,

A MANUAL OF THE PRACTICE OF PARLIAMENTARY ELECTIONS THROUGHOUT GREAT BRITAIN AND IRELAND,

Comprising the Duties of Returning Officers and their Deputies, Town Clerks, Agents, Poll Clerks, &c., and the Law of Election Expenses, Corrupt Practices, and Illegal Payments. With an Appendix of Forms and Statutes, and a Copious Index. Third Edition. By HENRY JEFFREYS BUSHBY, Barrister-at-Law; Recorder of Colchester.

“This is a manual intended for the use of returning officers and election agents, and is undoubtedly so written as to be intelligible to laymen as to lawyers. It is convenient in form, and of comparatively moderate price.”—*Solicitors' Journal*.

“Mr. Bushby embraces a larger field of inquiry, for he treats of bribery, and we may say in justice

to the learned author that we think his fifth chapter, which treats of corrupt practices (bribery, treating, undue influence, illegal payments) a most valuable one, and one that we heartily recommend to every person engaged, either as candidate or as agent, in the conduct of an election, to study most carefully.”—*Law Magazine*.

PRINCIPLES OF EQUITY.

In 8vo., price 18s., cloth,

THE PRINCIPLES OF EQUITY.

Intended for the Use of Students and the Profession. By EDMUND HENRY TURNER SNELL, of the Middle Temple, Barrister-at-Law.

“It appears that Mr. Snell, in the course of his studies for the bar, adopted the excellent practice of making notes, or rather abstracts, of the books he read and the lectures he listened to. These notes he has arranged, corrected, and extended, and the result is the volume before us. The subject is divided into five parts; the first introductory, and, with the maxims of equity, indicating briefly the various heads of equity that rank under them. The second part is an outline of its exclusive jurisdiction; the third being devoted to that branch of

it which relates to persons under disability; the fourth treats of the concurrent jurisdiction; and the last part of its auxiliary and specially remedial jurisdiction. It is, as it is called, an attempt merely to describe the principles of equity; it does not touch upon practice. These are stated summarily, yet clearly, and the book may be profitably read by students, who should also commit it to memory, and by practitioners, whose knowledge it will refresh.”—*Law Times*.

LOCKE ON THE GAME LAWS.

12mo. (1866), price 10s. 6d., cloth,

A TREATISE ON THE GAME LAWS OF ENGLAND AND WALES:

Including Introduction, Statutes, Explanatory Notes, Cases, and Index. By JOHN LOCKE, Esq., M.P., Q.C., Recorder of Brighton. The Fifth Edition, in which are introduced the GAME LAWS OF SCOTLAND AND IRELAND. By GILMORE EVANS, Esq., of the Inner Temple, Barrister-at-Law.

“It is only necessary to run the eye over the titles of these Acts to see how difficult it would be for the lawyer or sportsman to attempt to discover the law applicable to a particular case, without the aid of such a collection as the present. . . . Besides the recent legislation, there have been some important cases argued lately upon that well-worn old subject, the common law of game. For an account of these cases the reader cannot do better than to have recourse to the interesting intro-

duction to this collection of Statutes. There he will find a quaint store of historical and legal research. . . . It is only necessary to add, that the learned and careful editor of this edition has added to the original work the game laws of Scotland and Ireland. These are little likely to be of general use to the English practitioner, but they render the work complete, and facilitate a comparison of the laws relating respectively to the three kingdoms.”—*Solicitors' Journal*.

PEMBERTON ON REVIVOR.

In royal 8vo. (1867), price 10s. 6d., cloth,

**THE PRACTICE IN EQUITY BY WAY OF REVIVOR,
AND SUPPLEMENT.**

With Forms of Orders and Appendix of Bills.

By LOFTUS LEIGH PEMBERTON, Esq., of the Chancery Registrar's Office.

"Mr. Pemberton has, with great care, brought together and classified all these conflicting cases, and has, as far as may be, deduced principles which

will probably be applied to future cases."—*Solicitors' Journal.*

THE LAW OF CHARITIES.

In 8vo., price 16s., cloth,

THE CHARITABLE TRUSTS ACTS, 1853, 1855, 1860 :

THE CHARITY COMMISSIONERS JURISDICTION ACT, 1862;

THE ROMAN CATHOLIC CHARITIES ACTS,

Together with a Collection of Statutes relating to or affecting Charities, including the Mortmain Acts, Notes of Cases from 1853 to the present time, Forms of Declarations of Trust, Conditions of Sale, and Conveyance of Charity Land, and a very copious Index. Second Edition.

By HUGH COOKE and R. G. HARWOOD, of the Charity Commission.

"Charities are so numerous, so many persons are directly or indirectly interested in them, they are so much abused, and there is such a growing desire to rectify those abuses and to call in the aid of the commissioners for a more beneficial application of their funds, that we are not surprised to receive a second edition of a collection of all the statutes that regulate them, admirably annotated by two such competent editors as Messrs. Cook and Harwood, whose official experience peculiarly qualifies them for the task.

"It does not profess to be more than a convenient

collection of the statutes upon the subject—there is no attempt to produce a treatise.

"The editors place in the hands of the Profession that which, after all, the Profession most needs—the *ipsissima verba* of the law itself, with the judicial interpretations that have been put upon it, and, where the courts have not decided, the construction of it by minds who are compelled to make it a daily study, and a very copious index. This is the useful work now before us, and it has worthily won the favour with which it has been received."—*Law Times.*

**REPORTS OF THE DECISIONS OF THE JUDGES FOR THE TRIAL OF
ELECTION PETITIONS IN ENGLAND AND IRELAND.**

Pursuant to the Parliamentary Elections Act, 1868.

By EDWARD LOUGHLIN O'MALLEY, Esq., and HENRY HARDCASTLE, Esq.,
Barristers-at-Law.

Volume I., in Three Parts, royal 8vo., sewed, price 30s., and Volume II., Part I.,
price 2s. 6d.

In 8vo., price 1s., sewed,

LLOYD'S BONDS :

THEIR NATURE AND USES.

By HENRY JEFFERD TARRANT, of the Middle Temple, Barrister-at-Law.

AUTHENTIC REPORT OF THE GURNEY CASE.

This day is published, in 280 pages, 8vo., price 10s. 6d., cloth lettered,

A REPORT OF THE CASE OF
**THE QUEEN v. GURNEY AND OTHERS, IN THE COURT OF
 QUEEN'S BENCH :**

(*The Summing-up Revised by the Lord Chief Justice.*)

With an Introduction, containing a History of the Case, and an Examination of the Cases at Law and Equity, applicable to it; or Illustrating THE DOCTRINE OF COMMERCIAL FRAUD. By W. F. FINLASON, Esq., Barrister-at-Law, Editor of 'Crown and Nisi Prius Reports,' &c.

"It will probably be a very long time before the prosecution of the Overend and Gurney directors is forgotten. Possibly years may elapse before its silent influence ceases to be regarded. However ill-judged the prosecution, and however miserable its failure, there can be no doubt that it was a natural product of the state of our commerce. Consequently it remains as an example, and a legal precedent of considerable value. It involved the immensely important question where innocent misrepresentation ends, and where fraudulent misrepresentation begins.

"All who perused the report of this case in the columns of the *Times*, must have observed the remarkable fulness and accuracy with which that duty was discharged, and nothing could be more natural than that the reporter should publish a separate report in book form. This has been done, and Mr. Finlason introduces the report by one hundred pages of dissertation on the general law. To this we shall proceed to refer, simply remarking before doing so, that the charge to the jury has been carefully revised by the Lord Chief Justice."
 —*Law Times*.

"The Overend Gurney prosecution involved interests quite important and permanent enough to call for the publication of a record of that *cause célèbre* in an enduring form. Mr. Finlason, well known as a learned writer on constitutional law, as the editor of Reeves' History and of the "Crown and Nisi Prius Reports," has taken the task in hand. *A Report of the Case of the Queen v. Gurney and Others in the Court of Queen's Bench* (Stevens and Haynes) has an additional value because the summing up has been revised by Lord Chief Justice Cockburn himself. This charge to the jury was a masterpiece of its kind—unsurpassed for clear exposition of complicated principles and precedents of law, for keen analysis of the facts, and for a grave and dignified eloquence befitting the greatness of the occasion. For this reason alone many will be well pleased to possess in this volume an accurate and lasting record of so important a legal statement, but there is much more in the book besides that has considerable value. Probably the speeches of counsel and the evidence will in process of time lose much of their worth and interest, but Mr. Finlason's admirable introductory *résumé* of the law as it stands, and his analytical survey of the case, will always be instructive."—*Echo*.

LAND TENURE.

Now ready, in 8vo., price 7s. 6d., cloth,

**THE HISTORY OF THE LAW OF TENURES OF LAND IN
 ENGLAND AND IRELAND.**

By W. F. FINLASON, Esq., of the Middle Temple, Barrister-at-Law.

"Mr. W. F. Finlason has done good service in publishing a concise, well-written history of the law of tenures of land in England and Ireland, with particular reference to inheritable tenancy, leasehold tenure, tenancy at will, and tenant right.

Confining himself to the facts of legal history, he has collected and presented, in an admirably compact form, all the really useful information it contains."—*Observer*.

STEVENS & HAYNES' LAW CATALOGUE, 1871.

In 12mo., price 2s., cloth lettered,

A CATALOGUE OF LAW BOOKS,

Including all the Reports in England, Scotland, and Ireland. With an Addenda to January, 1871.

By H. G. STEVENS and R. W. HAYNES, Law Booksellers and Publishers.

"Messrs. Stevens and Haynes, the well-known Law Publishers, have just issued a new Catalogue of Modern Law Books. The book, though not absolutely exhaustive, appears to contain the names and dates of the vast majority of law books of authority, together with, in a great many instances, that most important addition—the price. The works are catalogued by the authors' names, but there is a most excellent index of subjects, after the fashion of the index attached to the catalogue of Lincoln's Inn Library. There is also some very useful addenda, such as the table of reports (p. x.), and the list of references (p. xxviii.), which will frequently be found of great service in assisting a search for

an authority, or in enabling the reader to determine *a priori* whether the authority will be likely to repay such a search or not. Altogether it is a very serviceable book for the purposes for which such books are needed, which are of an unobtrusive order, but not therefore to be overlooked."—*Solicitors' Journal*.

"Stevens and Haynes' Catalogue of Law Books alphabetically arranges all important books and reports, and those who contemplate laying the foundation of a library, or completing one half-formed, will do well to consult this comprehensive catalogue."—*Law Times*.

In 8vo., price 3s. 6d.,

A PLEA FOR TESTATORS. PART I.

THE RULE IN SHELLEY'S CASE: its Mischief, and a Remedy suggested.

By WILLIAM WILEY, Esq., LL.D., Advocate and Barrister-at-Law, one of the Registrars of the principal Registry of the Court of Probate in Ireland; Author of 'The Law of Dilapidations,' and 'The Law of Ecclesiastical Residences.'

"What you leave at your death, let it be without controversy, else the lawyers will be your heirs."

In 8vo., price 1s.,

LORD MANSFIELD.

A FOUNDER'S DAY SPEECH. By L. A. GOODEVE, Esq., Student of Christ Church, and of the Middle Temple, Barrister-at-Law.

"... The whole of Mr. Goodeve's oration is conceived in good taste, and is free from the exaggerated phraseology often found in similar productions."—*Solicitors' Journal*.

VAN DER KEESEL (D.G.)

In 12mo., price 10s. 6d.,

SELECT THESES ON THE LAWS OF HOLLAND AND ZEELAND.

Being a Commentary of Hugo Grotius' Introduction to Dutch Jurisprudence, and intended to supply certain defects therein, and to determine some of the more celebrated Controversies on the Law of Holland. Translated by C. A. LORENZ, of Lincoln's Inn, Barrister-at-Law. Second Edition, with a Biographical Notice of the Author by Professor J. DE WAL, of Leyden.

BELLEWE'S CASES, T. RICHARD II.

In one handsome volume, 8vo., price 3*l.* 3*s.*, bound in calf antique,

LES ANS DU ROY RICHARD LE SECOND.

Collect' ensembl' hors les abridgments de Statham, Fitzherbert, et Brooke. Per RICHARD BELLEWE, de Lincolns Inne. 1585. Reprinted from the Original Edition.

(*Being Volume I. of Stevens and Haynes' Series of Reprints of the Early Reporters.*)

"We have here a *fac-simile* edition of Bellewe, and it is really the most beautiful and admirable reprint that has appeared at any time. It is a perfect gem of antique printing, and forms a most interesting monument of our early legal history. It belongs to the same class of works as the Year Book of Edward I. and other similar works which have been printed in our own time under the auspices of the Master of the Rolls; but is far superior to any of them, and is in this respect highly creditable to the spirit and enterprise of private publishers. The work is an important link in our legal history; there are no year books of the reign of Richard II., and Bellewe supplied the only substitute by carefully extracting and collecting all the cases he could find, and he did it in the most convenient form—that of alphabetical arrangement in the order of subjects, so that the work is a digest as well as a book of law reports. It is in fact a collection of cases of the reign of Richard II., arranged according to their subjects in alphabetical order. It is, therefore, one of the most intelligible and interesting legal memorials of the Middle Ages. The publishers say, 'The numerous inquiries for "Bellewe's Cases," the rarity of the book, and the exorbitant price which copies have realised, led us

to believe that a reprint would be acceptable to members of the legal profession, and to librarians who desire to possess a complete and perfect series of English law reports.'

"And we may add that it is a book which ought to be in the library of every scholar, or student of history, for it contains in a convenient and intelligible form a complete epitome of the whole body of our mediæval laws and constitutions, which will be of great use as illustrating the history of the age, and those who cannot be expected to possess the year books at large, may be expected to possess this valuable little work, which will supply any ordinary scholar or student with sufficient and most interesting information as to our laws and usages in the Middle Ages. Moreover, as the book is printed *fac-simile*—although in clear and luminous type—with all the ancient abbreviations, it will afford a valuable introduction to our ancient records, and in that view it will be of use to those who have occasion to consult them and require familiarity with ancient contractions. Every one knows how much the value of these ancient records is now appreciated; such works as these form, in fact, the most valuable memorials of our early history."—*Law Times*.

CHOYCE CASES IN CHANCERY.

In one handsome volume, 8vo., price 2*l.* 2*s.*, calf antique,

THE PRACTICE OF THE HIGH COURT OF CHANCERY.

With the Nature of the several Offices belonging to that Court. And the Reports of many Cases wherein Releif hath been there had, and where denied.

(*Being Volume II. of Stevens and Haynes' Series of Reprints of the Early Reporters.*)

PUBLISHERS' ADVERTISEMENT.

The success and approbation afforded to our edition of the scarce volume of Reports, "Bellewe's Cases, temp: Rich: II.," induce us to reprint the rare and interesting volume generally known as "Choyce Cases in Chancery," temp: Mary, Elizabeth and James I. (including "Practice of the High Court of Chancery unfolded"). Mr. Wallace, in his valuable work, "The Reporters," referring to this book, says: "Like Lambard, Tothill, and a few similar law works, this volume is one which those great cases that occur from time to time and stimulate inquiry into the very foundations of legal science, will occasionally call forth; and it ought, therefore, to be in every public law-library."

In preparing this edition, every care has been taken, by comparison and collation of the Cases, to make it of increased value and authority. Numerous errors have been corrected, and the typography, paper, and binding combine to make it a fitting companion volume to the reprint of "Bellewe's Cases."

CUNNINGHAM'S REPORTS.

In one handsome volume, 8vo., price 3*l.* 3*s.*, calf antique.

CUNNINGHAM'S (T.) Reports in K. B., 7 to 10 Geo. II.; to which is prefixed a Proposal for rendering the Laws of England clear and certain, humbly offered to the Consideration of both Houses of Parliament. Third Edition, with numerous Corrections. By THOMAS TOWNSEND BUCKNILL, Barrister-at-Law.

(Being Volume III. of Stevens and Haynes' Series of Reprints of the Early Reporters.)

In 8vo. (1847), price 14*s.*, cloth,

GREENLEAF'S EXAMINATION OF THE TESTIMONY OF THE EVANGELISTS

By the Rules of Evidence administered in Courts of Law; with the Harmony of the Four Gospels, arranged in four parallel columns, and a Synopsis of their Contents. To which is added, M. DUPIN'S REFUTATION OF JOSEPH SALVADOR'S TRIAL AND CONDEMNATION OF OUR SAVIOUR. Translated from the French by Dr. PICKERING.

ERSKINE'S SPEECHES,

Reprinted, with Memoir of his Life, by EDWARD WALFORD, M.A. Complete in 2 vols., 8vo., 16*s.*

"Without an equal in ancient or modern times as an advocate in the Forum."—*Lord Campbell.*

"In the sustained brilliancy of his eloquence it is doubtful if he ever had an equal at the bar. His manner too was excellent. He had an intelligent eye, remarkably expressive of the ardour with which he had embarked in the cause of the client on whose behalf he was addressing the jury. The tones of his voice were clear and sonorous; and his action was energetic, without verging on that extravagance which is unpleasant."—*The Bench and the Bar.*

"The intentness, the earnestness, the vehemence, the energy of the advocate, were ever present

throughout his speeches, impressing his arguments upon the mind of the hearer with a force which seemed to compel conviction. Throughout even the longest of his speeches, there is no weakness, no failing, no flagging; but the same lively statement of facts, the same spirited and pointed exposition of argument. He never gave way to what he has happily termed 'the Westminster Hall necessity'—of filling up his speech with common places; but invariably presented his subject in some striking or brilliant light, which never failed to rivet the attention, and to work upon the convictions of the audience."—*Roscoe's Eminent Lawyers.*

REEVES' ENGLISH LAW.

In 3 vols., 8vo., price 2*l.* 2*s.*,

HISTORY OF THE ENGLISH LAW,

By JOHN REEVES. A new Edition with numerous Notes, and an Introductory Dissertation on the nature and use of Legal History, the Rise and Progress of our Laws, and the Influence of the Roman Law in the formation of our own, by W. F. FINLASON, Esq., Barrister-at-Law.

"Mr. Finlason is already known as an industrious and painstaking author, and has now produced a work which will establish his reputation. What Stephen has done for Blackstone's Commentaries, Mr. Finlason has done for Reeves' 'History of the English Law.' No doubt Reeves' book is one that ought to be diligently read by Law students, but it has for some years been too generally neglected. Mr. Finlason has come to the rescue, and his new edition will find a prominent place in every law library."—*Law Journal.*

"The perusal of Reeves has done much to impress us with the value of legal history. It is beyond doubt a work of extreme value."—*Law Times.*

"Reeves' 'History of the English Law,' which was first published more than eighty years ago, is

still the only book which professes to give a systematic and detailed view of the progress of our jurisprudence. In the absence of any better work on the subject, a carefully prepared edition of Reeves' History of the Law was exceedingly desirable; we need scarcely say that Mr. Finlason has brought great industry, learning, and ability to the task. His introductory dissertation is elaborate and profound, his notes are ample and numerous, every mistake in the text is carefully noticed and corrected, and large stores of information are poured forth as from a never failing treasury."—*Law Magazine and Review.*

"I must advise you for information to go to the fountain head, and for that purpose recommend you Reeves' 'History of the English Law.'"—*Warren.*

LAW OF BILLS OF SALE.

In 12mo. (1870), price 7s. 6d., cloth,

**A TREATISE ON THE LAW AND PRACTICE RESPECTING
BILLS OF SALE:**

WITH THE REGISTRATION ACT.

By JAMES P. BYRNE, Esq., Solicitor, Dublin.

BELL'S COMMENTARIES.

In two large 4to. Volumes, price 5l. 5s., cloth,

**COMMENTARIES ON THE LAW OF SCOTLAND;
And on the Principles of Mercantile Jurisprudence.**

By GEORGE JOSEPH BELL.

Seventh Edition, being a republication of the Fifth Edition with additional notes, adapting the work to the present state of the Law, and comprising abstracts of the more recent English Authorities, illustrative of the Law of Scotland. By JOHN M'LAREN, Advocate.

SHAW'S DIGEST OF SCOTCH LAW.

Lately published, in three vols., imperial 8vo., price 9l. 9s.,

DIGEST OF CASES

DECIDED IN THE

SUPREME COURTS OF SCOTLAND, FROM 1800 TO 1868;

AND, ON APPEAL, BY

THE HOUSE OF LORDS, FROM 1726 TO 1868.

Being a new Edition of the Digest from 1800 to 1852, by Mr. SHAW; and from 1852 to 1862, by Messrs. MACPHERSON, BELL, and LAMOND, Advocates. Revised, Consolidated, and continued to 1868, by ANDREW BEATSON BELL and WILLIAM LAMOND, Advocates.

Nearly ready.

THE LAW OF NEGLIGENCE,

Illustrated by the Recent Decisions of the Courts of the United Kingdom and America.

By ROBERT CAMPBELL, Advocate of the Scotch Bar, and of Lincoln's Inn,
Barrister-at-Law.

In this Essay, the Author reviews old principles in the light of recent decisions; combining the point of view of the practitioner—noting the latest phase of judicial opinion; with the attempt to digest and harmonize the law, so that (if possible) new decisions may seem to illustrate old and familiar principles, or that the extent and direction of the change introduced by each decision may be correctly estimated.

Nearly ready, in 8vo.,

**A TREATISE ON THE STATUTES OF ELIZABETH AGAINST
FRAUDULENT CONVEYANCES,**

The Bills of Sale Registration Acts, and Voluntary Dispositions of Property independently of those Statutes.

By HENRY W. MAY, B.A., Lincoln's Inn, Barrister-at-Law.

AMERICAN LAW WORKS

IMPORTED BY

STEVENS AND HAYNES.

- Throop (M. H.).** A Treatise on the Validity of Verbal Agreements, as affected by the Legislative Enactments in England and the United States, commonly called the Statute of Frauds; including also the effect of Partial and Complete Performance and the sufficiency of the Writing in Cases where Verbal Agreements are not valid; together with other kindred matters; to which are prefixed transcripts of the various Statutes on the subject now in force in both Countries. By MONTGOMERY H. THROOP. (In 2 vols.) Vol. I., royal 8vo. 1870. 35s., cloth.
- Abbott (B. V. & A.).** A General DIGEST of the LAW of CORPORATIONS: presenting the American Adjudications upon Public and Private Corporations of every kind. With a full selection of English Cases. 1 vol., imp. 8vo. 1869. 2l. 2s., cloth.
- Angell on the Law of Carriers of GOODS and PASSENGERS by LAND and by WATER.** Fourth Edition. Royal 8vo. 1868. 1l. 11s. 6d., cloth.
- Angell's Treatise on the Law of WATERCOURSES.** Sixth Edition. By J. C. PERKINS. Royal 8vo. 1869. 31s. 6d., cloth.
- Angell's Treatise on Limitations of ACTIONS at LAW.** Fifth Edition. Royal 8vo. 1869. 31s. 6d., cloth.
- Bishop on the Law of Married WOMEN.** 2 vols.
- Bracton and his Relation to the ROMAN LAW.** By CARL GUTERBOCK, translated by BRINTON COXE. 8vo. 9s., cloth.
- Hilliard on Injunctions. The Law of INJUNCTIONS.** By FRANCIS HILLIARD, Esq. Second Edition. Royal 8vo. 1869. 1l. 11s. 6d., cloth.
- Hilliard on the Law of Sales of PERSONAL PROPERTY.** Third Edition. Royal 8vo. 1869. 31s. 6d., cloth.
- Hoffman's (M.) Ecclesiastical Law in the STATE of NEW YORK.** 8vo. 1868. 15s., cloth.
- Houck's Treatise on the Law of NAVIGABLE RIVERS.** Royal 8vo. 1868. 14s., cloth.
- Langdell's Selection of Leading CASES on the LAW of CONTRACTS.** With References and Citations. By C. C. LANGDELL, Dane Professor of Law in Harvard University. Vol. I. 8vo.
- Langdell's Selection of Leading CASES on the LAW of SALES of PERSONAL PROPERTY.** With References and Citations. By C. C. LANGDELL, Dane Professor of Law in Harvard University. Vol. I. 8vo.
- Morse's Treatise on the Law of BANKS and BANKING.** Royal 8vo. 1870. 30s., cloth.
- The Civil Code of the State of New YORK,** reported complete by the Commissioners of the Code. 1 vol., 8vo., 18s., cloth.
- Ordronaux on the Jurisprudence of MEDICINE in its RELATIONS to the LAW of CONTRACTS, TORTS, and EVIDENCE.** 8vo. 1869. 15s., cloth.
- Parsons' (T.) Law of Shipping and the PRACTICE in ADMIRALTY.** 2 vols., royal 8vo. 1869. 3l. 3s., cloth.
- Parsons' (T.) Law of Marine INSURANCE and GENERAL AVERAGE.** 2 vols., royal 8vo. 1868. 3l., cloth.
- Parsons' (T.) Treatise on the Law of PROMISSORY NOTES and BILLS of EXCHANGE.** 2 vols., royal 8vo. 1868. 3l., cloth.
- Phillips' Law of Insurance. Fifth Edition.** 2 vols., royal 8vo. 1867. Cloth.
- Powell's Analysis of American LAW.** Royal 8vo. 1870. 24s.
- Rawle's Lecture on Equity.** Delivered before the Law Academy of Philadelphia. Royal 8vo. 1868. 7s. 6d.
- Redfield's (I. F.) Law of Railways.** Fourth Edition. 2 vols., royal 8vo. 1869. 3l., cloth.
- Redfield's Law of Carriers of Goods and PASSENGERS;** also the Responsibility and Duty of Telegraph Companies and of Innkeepers, and the Law of Bailments. 8vo. 1869. 28s., cloth.
- Schouler (Jas.) on the Law of DOMESTIC RELATIONS:** embracing Husband and Wife, Parent and Child, Guardian and Ward, Infancy, and Master and Servant. 1 vol., royal 8vo. 1870. 31s. 6d., cloth.

AMERICAN LAW WORKS—

CONTINUED.

Sedgwick (T.) on Damages; or, An

Inquiry into the Principles which govern the Amount of Compensation recovered in Suits of Law. Fifth Edition. Edited by ARTHUR G. SEDGWICK, Esq. Royal 8vo. 1869. 38s., cloth.

Shearman (T. G.) and Redfield's

(A. A.) TREATISE on the LAW of NEGLIGENCE. Royal 8vo. Second Edition. 1870. 35s., cloth.

Storer and Heard on the Nature,

EVIDENCE, and LAW of CRIMINAL ABORTION. 8vo. 1868. 9s., cloth.

Story's (Judge) Works—viz.:

COMMENTARIES on EQUITY JURISPRUDENCE. Tenth Edition. 2 vols., royal 8vo. 1870. 3l. 3s., cloth.

ON BAILMENTS. Eighth Edition. Revised and enlarged by E. H. BENNETT, Esq.

AGENCY. Seventh Edition. 1869. 31s. 6d., cloth.

PROMISSORY NOTES. Sixth Edition. 1868. 31s. 6d., cloth.

PARTNERSHIP. Sixth Edition. 1868. 31s. 6d., cloth.

CONFLICT of LAWS. Sixth Edition. 1865. 32s., cloth.

The American Law Review. A

Quarterly Journal of American Jurisprudence, &c. Price 6s. each number.

Troubat and Haly's Practice in

CIVIL ACTIONS, and Proceedings in the Supreme Court of Pennsylvania, and in the Courts of the United States. Fourth Edition. By A. I. FISH. 3 vols., royal 8vo. 1868. 5l. 10s., calf.

Wilson's Digest of Parliamentary

LAW. A Digest of Parliamentary Law. Also the Rules of Senate and House of Representatives of Congress; with the Constitution of the United States, the Amendments thereto, and their History. By O. M. WILSON, Esq. Second Edition. Demy 8vo. 10s., cloth.

Zabriskie (James C.). The Public

LAND LAWS of the UNITED STATES; with Instructions and Decisions appertaining thereto. One large vol., 8vo. 3l., bound.

The Civil Code of Lower Canada.

Together with a Synopsis of Changes in the Law, References to the Reports of the Commissioners, &c., and a Complete Index. By THOMAS McCORD, Advocate. 12mo. 1867. 6s. 6d.

A Catalogue of American Law Books; together with a Chronological

List of American Reports, Digests, and Statutes, an Alphabetical Index to American Reports and Reporters; and a few pages of prefatory remarks, intended as a guide to the English lawyer. In 12mo. 1869. Price 1s., cloth.

*** Any Works not in stock can be supplied (if in print) in a few weeks from date of order.

NEW ZEALAND.

THE PRACTICAL STATUTES OF NEW ZEALAND.

Compiled by WALTER MONRO WILSON, Barrister-at-Law.

One vol., royal 8vo. 1867. Price 5l. 5s., bound.

CAPE OF GOOD HOPE.

BUCHANAN (J.), Reports of Cases decided in the Supreme Court of the Cape of Good Hope. Vols. I. & II. 1868-69. Royal 8vo. 25s. each.

Vol. III., part i. 1870. 5s.

MENZIE'S (W.), Reports of Cases decided in the Supreme Court of the Cape of Good Hope. Vols. I. & II., parts i. and ii. £3 10s.

HINDU LAW.

Just published, in large 8vo., Part I., price 40s., cloth,

**A SELECTION OF LEADING CASES ON THE HINDU LAW OF
INHERITANCE,**

With Notes. By the Hon. JOHN BRUCE NORTON, of Lincoln's Inn, Barrister-at-Law,
Advocate-General of Madras, and Member of the Legislative Council.

MARRIED WOMEN'S PROPERTY.

In 8vo., price 3s., cloth,

THE MARRIED WOMEN'S PROPERTY ACT, 1870.

Its Relations to the Doctrine of Separate Use, with Notes by J. R. GRIFFITH, B.A.,
Oxon, of Lincoln's Inn, Barrister-at-Law.

P R E F A C E.

The object of the Married Women's Property Act, 1870, as defined in the preamble, is "to Amend the Law of Property and Contract with respect to Married Women." Under the Act the rights, which women have hitherto enjoyed in Equity in respect of separate Estate, are apparently recognised and adopted; while a most beneficial, if somewhat anomalous, position is given to them at Law. It has been attempted in the following Notes to give a summary of the Cases, decided in Courts of Equity, on the rights and liabilities of married women in relation to their separate Estate; and to suggest some changes, which may probably arise in the practice of the Courts, from the new status given to them by the Act.

STEVENS AND HAYNES,

LAW PUBLISHERS, BOOKSELLERS AND EXPORTERS,

BELL YARD, TEMPLE BAR, LONDON, W.C.

Books Bound in every style of Binding.

WORKS IN ALL CLASSES OF LITERATURE SUPPLIED TO ORDER.

FOREIGN BOOKS IMPORTED.

LIBRARIES VALUED OR PURCHASED.

Catalogues and Estimates Furnished, and Orders Promptly Executed.

S. & H. have a large Stock of Second-hand Law Reports in superior condition.



FN AHS APc
Commentatio de iuris gentium s
Stanford Law Library



3 6105 043 529 531

